ANALECTA EURIPIDEA: INEST SUPPLICUM FABULA AD CODICEM...

Ulrich von Wilamowitz-Moellendorff





MAXIMILIANO · FRAENKEL

deprecans [illegible] vitiis typographicis non [illegible] typographicis ab amicitia [illegible].

U. v. W. M.

(etiam squalores scripturae [illegible]).

a. d. XVIII. Kal. Aug. 1875.

ANALECTA EVRIPIDEA

SCRIPSIT

UDALRICUS DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF.

INEST

SVPPLICVM FABVLA AD CODICEM ARCHETYPVM RECOGNITA.

BEROLINI MDCCCLXXV.

SVMPTIBVS FRATRVM BORNTRAEGER.

ED. EGGERS.

THEODORO MOMMSENO.

Subirascere fortasse neque id iniuria, vir summe, libro tibi oblato qui cum omnino in librariorum erroribus coacervandis versatur, quos nemo attingit nisi coactus, tum in eius poetae emendatione, quem quantum contemneres non reticuisti. quodsi nihilo minus tibi potissimum quae scripsi sacra volo, facio id religione obstrictus, ut triplex votum exolverem meritissimo quidem ac libens sed idem tristissimus. cum enim adulescentulus ad Ottonis Iahnii pedes consedissem exciperemque ex ore in quo Suada sedebat sermones et copia et suavitate ornatissimos, diu noctuque ferventissimo excitabar maturescendi desiderio, ut ipsis dilectissimi praeceptoris oculis studiorum primitias liceret mihi subicere. mox cum Mauricii Hauptii gravissima eloquentia in animo meo stimulos infigeret, disceremque terminos quibus verae artis libertas a licentia quae artem mentitur discernitur, quid poteram altius concupiscere quam ut aliquando illi aliquid possem offerre, quod non dedignaretur nomine suo condecorare? sed utraque spes fefellit. ego vero domesticis quoque curis gravissime adflictus firmum columen quo quam maxime egebam non frustra circumspexi. quam comiter idem atque graviter tu me excepisses, ambitiosum foret si vellem publice profiteri, si gratias tibi referre vellem, foret inane. at hunc libellum, quamvis exile donum tamen quo melius cariusve non habeam, benevole quaeso accipias, et tibi et magnis illis viris, quorum memoria ad te mihi aditum paravit, dudum debitum atque in animo meo devotum. quod vero argumentum a me tractatum ab eis in quibus tu regnas studiis videri potest alienissimum: id vos tres viri saluti bonarum litterarum

nati, quorum nomina non per familiaritatem tantum in artis nostrae annalibus manebunt coniuncta, et exemplo praestitistis et doctrina confirmastis, unam esse artem nostram, certis quidem finibus circumscriptam, ita tamen ut intra hos fines nihil sit diversum aut dissitum, nulla regio quae sine communi damno praetereatur, nullus ager quin excultus ceterorum quoque fertilitatem augeat: me quoque philologiae maiestatem revereri docuistis istorumque spernere audaciam qui tam magnae artis compendiariam invenerunt. itaque eo quod Euripidea sint haec Analecta non minus tibi fore accepta confido; num ceteroquin te digna sint, tu videas. me mihi in paucissimis satis fecisse nec sine anxio timore haec foras edere non mirabere. quidquid vero statuetur, me scias meaque omnia aut certe quantumcumque in me est boni probique tibi esse dedita atque devota.

Berolini Id. Mai. 1875.

I.

De fabularum secundi ordinis recensione.

1.

Decem fabulas Euripideas, quas Kirchhoffio duce secundi ordinis vocare consuevimus, duobus tantum codicibus Palatino 287 et Laurentiano 32, 2 ad nos pervenisse [1]) primus intellexisse videtur Petrus Elmsleius, unus qui emendandi et studiosus et compos codices illos evolverit. quamquam Laurentianum delibavit tantum, sola Bacchis conlata, neque id satis adcurate: vel id eum fugit, et ab alia manu quam cetera hanc fabulam et in separato olim quaternione scriptam esse.

Quae Elmsleius senserat magis quam intellexerat, persecutus est Kirchhoffius, abiectis tandem apographorum et Aldinae sordibus: atque speramus fore ut istorum conamina inrita cadant, qui semitam satis salebrosam, quam ad iustam harum tragoediarum recensionem Kirchhoffius aperuit, in avia rursum deducere student. at defecit Kirchhoffium adcurata codicum cognitio. Palatini quidem conlationem habuit satis diligenter confectam: quod pronuntiare meum est, cum saepe eam correcturus sim. namque in enotatis codicis lectionibus errores pauci sunt; longe plures inde nati, quod ex silentio conlatoris concludendum erat. fieri vero posse ut in tam ampla opera nihil praetereatur, non opinantur nisi qui libros manu scriptos nec oculis nec manibus adtigerint. at Laurentiani, quo subtilius et circumspectius egit, eo

1) Sunt quae ex altero tantum horum fontium promanarint. ex Laurentiano praeter tres fabulas Helenam Herculem Electram integras Cycl. 244-351. Heraclid. 1005-fin. quae in Palatino casu interciderunt. contra Palatinus solus Baccharum argumenta et vss. 755-fin. continet, quae in Laurentiano numquam extiterunt.

falsiorem animo sibi conformare debuit Kirchhoffius imaginem. cum enim liber ipse fere solum per Furiam virum optimum at vel faciliori operae parum idoneum notus esset, Kirchhoffius ex quinque apographorum lectione ad artis normam exacta hoc damnum resarcire studuit. quae cum miro consensu non genuinum codicem sed foedissimis interpolationibus depravatum referrent, fieri non poterat, quin non solum vera lectio non inveniretur, sed etiam ea, quae Petrus Victorius, vir venerandae memoriae, recto iudicio usus deterso interpolationum fuco enotaverat, debitam auctoritatem non haberent. praeterea commune generis humani vitium ne cautissimi quidem prorsus vitare possunt, ut notiora nobis et familiariora certiora quoque et meliora reamur. praeiverat in praeferendo Palatino idem Elmsleius, etsi fateri debebat, in Laurentiano *longe plures bonas lectiones reperiri;* Kirchhoffii crisis, ex qua ceteri pendent, in hac Palatini aestimatione posita est, quamquam, uti par est, longe afuit a quorundam temeritate, veluti extitit qui Iphigeniae Tauricae recensionem ex Palatino fere repetendam esse diceret: quanta levitate in ea potissimum fabula librarius illius codicis rem suam egisset, discere poterat ex Kirchhoffii adnotatione. ego qui Laurentiano patronus extiterim, quin interdum in contrarium peccaverim non dubito; nec nimis hoc doleo: nocent enim talia tunc tantum cum auctoritate praeclari hominis fulta sunt.

Post Kirchhoffium emendatio harum fabularum haud pauca profecit, recensionem quidquam profecisse nego. [2]) ipse postquam Kirchhoffianam recensionem firmum atque solidum fundamentum esse didici, quae deesse Kirchhoffius indicaverat addere constitui. itaque iteratis curis per multos menses utrumque codicem versavi. multa me rectiora et adcuratiora daturum esse, quam qui praeter me codices illos evolverint, promittere possum; tamen diutius ad hunc laborem incubui, quam qui confidentior essem. quid quod singularis sane dementiae et dedi poenas et dabo, qui in conferendo usus sim quinta scaenicorum editione, quam incre-

2) In prioris ordinis fabulis pauca quaedam rectius instituta sunt. est ubi Kirchhoffius ipse ab iniuria praelato Marciano recesserit (egregius enim codex interdum puerili manu interpolatus est). in Alcestide et aliquotiens in Troadibus codicibus PC vere fidem a Kirchhoffio derogatam restituit Nauckius. contra quae de Havniensi ille dixit, probare non possum, arbitror enim librum illum omni auctoritate carere.

dibili levitate conpilavit Dindorfius. ceterum invenisse mihi videor paullo plura quam expectaveram: quae in fronte dissertationis nuda et, ut spero, concinna ponere e re visum est.

Circa annum 1300 in bibliotheca quadam Byzantina codex extabat non ante saeculum duodecimum litteris quas vocant minusculis adhibitisque pro aetatis usu conpendiis scriptus. hoc est fabularum Euripidearum, quas scholiis destitutas habemus praeter Bacchas fundamentum unicum, et Palatini et Laurentiani archetypon; mihi *Φ* audit. continebat (ut dubia mittam) Sophoclis Aeschylique fabulas aliquot aut ex ipso Laurentiano 32, 9 aut ex apographo eius descriptas (quod paucis Sophoclis paginis perlectis de utroque apographo contendere possum) quibus interpositae erant Euripidis Supplices Cyclops Heraclidae Hercules Helena Hippolytus Medea Alcestis Andromacha Electra Hecuba Orestes Phoenissae; Rhesus Ion Iphigeniae nescio quo loco evulsae circum ferebantur separatae. columnarum dispositionem codices apographi non referunt; archetypon una certe pagina viginti quatuor conplectebatur versus, haud dubie una columna.[3]) correctores *Φ* perpessus erat conplures; nam non solum sive scriba ipse sive alius argumenta vel potius frustula eorum et nonnumquam etiam personarum indicem addidisse videtur[4]) sed etiam in versibus ipsis cum aliquot errores correxit tum varias lectiones pauculasque notas modo plures modo pauciores, nimirum pro exemplaris natura, adspersit. at multa etiam ex *Φ* tamquam alteram lectionem sumpserunt apographa, quae ex mera lectorum coniectura prognata esse facile intelleguntur. cum tamen apertum sit, ex apographis singulas manus distingui non posse, haec omnia *φ* vocanda duxi summa cum cautione adhibenda. titulis et personarum indicibus haud paucae tragoediae carebant, at nomen tragoediae in subscriptione ponebatur.[5]) denique metricorum vio-

3) Conf. huius libri cap. 5. ad Iph. Taur. 1380 in classi B. in Laurentiano binae cuiusque paginae columnae ita dispositae sunt, ut in altera pares in altera inpares versuum numeri conlocarentur, in Palatino exacta demum una columna ad alteram transitur.

4) Certe in apographis plerumque spatio vacuo relicto altera manus haec addidit. et antea quoque idem factum esse inde consequitur, quod ita tantum cur pleraque argumenta mutilata sint explicari potest, ut parum spatii a priore scriba eis relictum esse existimetur.

5) Ita clarescit, cur librarius C mero errore Hippolyto inscripserit Phaedram. nam merum errorem esse inde consequitur, quod subscriptio solita manu

lentia codici pepercerat, at notabantur versuum melicorum fines duobus punctis ex traditione non nimis antiqua fortasse (certe prae Phaethontis codice Claromontano mirum quantum sordet) tamen nequaquam penitus abicienda.

Pleraque de codicis Φ natura docuit apographon initio saeculi XIV confectum, codex Laurentianus plutei 32 secundus: C. cuius satis diligentem descriptionem Bandinius dedit,[6]) quam velim cum meis conferant, qui externam libri utilissimi formam pernoscere cupiant. est chartaceus, at illius et crassioris et fulvioris et levioris chartae, quae bombycem imitatur, a Bandinio nescio quo iure constanter papyracea vocata. codicum periti sciunt ea librum melioris notae doctiore manu scriptum fere indicari. continet quaternionibus α′—θ′ fol. 2 Sophoclis tragoedias sex et Hesiodi Operas et Dies, hoc cum scholiis futtilibus. quaternionis θ′ reliqua pars una cum tribus proximis integris intercidit iam ante medium saeculum XV. secuntur ιγ′—ιη′ codicis Φ fabulae Euripideae a Supplicibus usque ad Helenam, ιθ′ Baccharum fragmentum nunc quidem bibliopegae saeculi XVI incuria post paenultimum Supplicum folium traiectum, dein Rhesus Ion Iphigeniae Hippolytus et reliqua codicis Φ. scribae quos communi nomine manus primae conplecti licet distinguuntur tres, unus qui totum codicis Φ volumen non uno quidem tenore, at scribendi genere quod facillime a ceteris dignoscas, diligenter quamquam parum nitide expressit;[7]) alter magis nitide nec multo minus

---

exarata Εὐριπίδου Ἱππόλυτος στεφανηφόρος est. non igitur haec fabula singulari titulo in C designata esse dici debebat. quod vero Orestes dicitur Electra inscribi, error Furiae est, qui eodem iure Electram αὐτουργόν Hecubam Πολύδωρον Phoenissas Ἰοκάστην vocari poterat testari. nimirum deficiente titulo a nomine τοῦ προλογίζοντος tragoediae ordiuntur. quo modo res in Bacchis se habeat, nescitur, quoniam haec tragoedia ex aliis fontibus repetenda est. videtur tamen aliter sese habere: Stobaeus enim Penthei titulum novit, Victoriusque potiorem ei fidem habuit, quod verum non esse didascalia clamat.

6) Non inpune Bandinium neglexerunt editores, quo inspecto cum ab aliis cavissent erroribus, tum Dindorfio fidem non habuissent adseveranti prius Medeae argumentum Dicaearcho tribui. quod codex nullo modo testatur, nisi forte eo quod hoc argumentum in eadem pagina scriptum est, in qua Dicaearcheum Alcestidis exstat. ceterum si testaretur, mentiretur, si quidem Dicaearchus in ipso illo argumento nominatur.

7) Ex eo quod unus scriba illa omnia exaravit, uni codicis Φ volumini ea tribui; quod quin in Euripide iure factum sit, constans sibi per omnes

perite partem evulsam archetypi, tertius et ordine et fide Baccharum fragmentum scripsit. eodem fere tempore hos scribas munere suo functos esse id demonstrat, quod sua cuique data erat charta, unde factum est, ut post Bacchas et Iphigeniam Aulidensem aliquot folia vacua relicta sint. opere absoluto primum sua ipsi dein alius totum volumen cum archetypo contulerunt, errores corrigentes, omissa, argumenta etiam, addentes, multa ex eis quae φ adiunxerat supplentes, nam prima manus (C) primam manum Φ fere secuta erat. haec omnia C² voco. qua sane laudabili cura effectum est, ut codex apographus satis fidelem archetypi imaginem referret, cum ante annum 1347 aequalis fere Homeri illius, quem a Barlaamo Calabro accepit Petrarca, in occidentem transportaretur, a Symeone, ut videtur, Barlaami eo anno mortui successore in sede episcopali Hieracis i. e. Locrorum, item Calabro item monacho Basiliano.[8]) quorum fatorum testem ipsum codicem habemus, in cuius prima pagina haec extant descripta iam a Bandinio, quem tamen, cum Hieracem (hodie Gerace), et Hebradunam (hodie Yverdun) ignoraret scriptoris nomen fugit.

†τῇ κγ΄ τοῦ ἰουνίου μηνὸς τοῦ ϛωνϛ ἔτους (1348) τῆς α΄ ἰνδ. ἐγενόμην ἐπίσκοπος τοῦ Ἱέρακος ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος† κατὰ τὴν ιγ΄ τοῦ ἰουλίου μηνὸς τοῦ αὐτοῦ ἔτους καὶ τῆς αὐτῆς ἰνδ. προεβιβάσθην εἰς τοὺς ἱερατικοὺς ἥττονας βαθμοὺς ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου μου δεσπότου κυρίου Βερτράνδου τοῦ Ὀστίων καρδιναλίου τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγιωτάτου Ἀνδρέου πλησίον τοῦ Ἀβινιῶνος ἐν τῷ τόπῳ τῷ λεγομένῳ Βίλανόβα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τῆς μιᾶς θεότητος ἀμήν†

et proximo anno ibidem notavit

---

fabulas praeter Bacchas spondet natura; Sophoclem ibidem extitisse, consentiens apographon alterum. Aeschylum, quo Laurentianus finitur, quod addidi, Hesiodum, iniuria ut videtur, quod omisi, cum ad illos scriptores recensendos tum ad iudicium de Euripideis ferendum nihil adfert momenti.

8) Nomina et tempora episcoporum illorum praeclara illa et vel inter Italos singulari, qua studia bonarum artium fovet, liberalitate mihi indicavit N. Anziani, bibliothecarii Laurentiani vice fungens. cui quod publice gratissimum animum possim testari, quam maxime laetor.

†τῇ ϛ′ τοῦ δεκεμβρίου μηνὸς τῆς β′ ἰνδ. τοῦ ͵ϛωνζ′ χάριτος δοθείσης εἰδικῆς παρὰ τοῦ θειοτάτου πάπα τοῦ ϛ′ Κλήμεντος γενέσθαι βαθμούς· ἦν δὲ ἡμέρα σάββατον· ἐχειροτονήθην ὑπὸ τοῦ Βάβρας ἐπισκόπου ἐν τῷ παρθενίῳ τῆς ἁγίας Καθερίνης τῷ ἐν Ἀβινιῶνι† τῇ δὲ ζ′ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἡμέρᾳ κυριακῇ κεχειροτόνημαι ἐπίσκοπος ἐν τῷ ναῷ τῶν πραιδικατώρων ὑπὸ τοῦ ὑψηλοτάτου καρδιναλίου τοῦ Ἑβραδουνῆς†

nec solum possedit Symeon pretiosissimum librum, raram profecto eo tempore inter barbaros avem, sed legit etiam et cum alibi tum in Helena notulas margini adspersit, quales ab otiosis lectoribus profundi solent; nam distortam et diffluentem eius manum facile adgnoscis, cum agnosti, spernis.

Quonam felici casu acciderit, ut ex Avinionis exilio codex in civitatis Florentinae sinum, litterarum Graecarum vere patriam delatus sit, ego demonstrare nequeo: demonstrabunt olim doctiores.[9] at fuisse eum Florentiae saeculo XIV ad finem vergente, apographon docet illo tempore in elegantibus, quas facile a sordidioribus Graecis dignoscimus, Florentinis membranis scriptum, codex qui in Abbatia Florentina primum 9 deinde 18 denique 2664 signatus erat, nunc in Laurentiana 172 audit. ex forma et litteris vix tam veterem hunc librum iudicaveris, quam re vera demonstrari potest. librum nonum inter primos bibliothecae fuisse par est; quae anno 1424 probata est. nec tamen in eius usum scriptus est, cum enim ei inferretur, non minus mutilus erat, quam hodie. continet Heraclidarum exodi paucos versus, Helenam Herculem Electram cum Euripidis Sophoclisque triade Byzantina et Antigonae paucis versibus. contuli tres Euripidis fabulas in quibus apographon aliquid docere potest, necessaria de eo in capite 8 dicturus. signum huius codicis mihi *Γ* est.

9) Permisit Anziani, ut splendidam eius coniecturam commemorarem. suspicatur enim, Petrarcam non temere desiderasse, *Sophoclis Euripidisque tragoedias*, sed id ipsum exemplum, sine dubio unicum, quod tum cis Hadriam extaret, Petrarca fortasse Avinione vidisset. quod si obtinuit, fata codicis a saec. XIV ad saec. XVI persequi licet. nam Petrarcae libros ad Nicolaum Niccoli, huius ad monasterium S. Marci Florentinum, libros Marcianos post multa pericula ad familiam Mediceam, denique in publicam S. Laurentii bibliothecam transisse notum est. at sensit ipse Anziani, multum abesse, ut quamvis speciosa suspicio probata esset. speramus tamen fore ut aut Anzianius aut alii qui laudabilissimo studio in fata codicum Laurentianorum inquirunt mox certa et indubitata nos doceant.

Saeculo XV efflorescente magis magisque linguae Graecae studio quinque illa apographa facta sunt, quae Kirchhoffius enumerat praef. X adn. recentissimum eorum secundum ea quae in Baccharum praefatione Elmsleius testis oculatus dixit Laurentianum 31, 1 re vera vilissimum exemplum esse videtur; quod moneo propterea quod hic liber in usum Fr. Philelphi mortui 1482 scriptus est. at interea ingenti malo codex C pessumdatus erat, ut, qui unus ex integerrimis Euripidearum carminum fontibus fuisset, foedam libri interpolatissimi imaginem prae se ferret, eam, quae omnibus praeter Victorium criticis adhuc ante oculos versatur. nam grammaticus doctus quidem at doctrinam audacia superans, metricis Byzantinorum regulis addictus, ut nihil furorem eius in corrumpendis canticis aequiperare possit, radendo oblinendo supplendo mutando inpudentissime per omnes fere fabulas grassatus erat (c) quem cum sequerentur apographa, sequeretur etiam plerumque Furia, factum est, ut ubi ex C recensio penderet non in rupe solida sed in harena extrueretur. at paullo intentiores oculi c a C et C² distinguere valent, atque quoniam in eis fabulis, quibus alterum codicis *Φ* apographon caret, rara fortunae benignitas *Γ* nobis concessit, descriptum ex C antequam interpolator saeviret, rarissime de genuina eius lectione dubitatio oriri potest. at hercle primaria in hoc codice usurpando lex est, ut quidquid a c profectum est, nisi forte recte coniecit, forti animo abicias et contemnas.

Revertamur ad codicem *Φ* saeculumque XIV exiens, quo tempore *Γ* ex C Florentiae describebatur. iam multa mala *Φ* perpessus erat; quatuor quidem separatae fabulae integrae manserant: at quidquid Heraclidas sequebatur, abscissum interierat, nec damnum eo reparabatur, quod Andromachae Medeae Hippolyti Alcestidis exempla circumferebantur aut ex *Φ* ipso aut ex fratre eius desumpta: nam exempla illa ex vulgata Byzantina (peioribus Kirchhoffiani ordinis prioris libris) interpolata erant. haec ita se habuisse docemur codice Musuri, Palatino 287, Kirchhoffii *B*, mihi e re visum est, P potius cum Dindorfio cum vocare. conferantur velim, quae Kirchhoffius de eo praefatus est. scriptus est saeculo XIV exeunte in membranis satis elegantibus, uti etiam in Graecia in usum Italorum eo tempore interdum scribebatur; quamquam non ita diligentem scribam promittere solent, neque hunc librarium nimis aut laudabimus aut vituperabimus. conplectitur autem P Sophoclis tragoedias posteriores, Euripidis

Andromacham et Medeam ex genere isto contaminato, Supplices Rhesum Iphigenias ex Φ sumptas, Danaen,[10]) post quam mutilam scilicet folia aliquot vacua sunt, Hippolytum Alcestidem ex codice contaminato at magis ad Φ accedente quam Andromacha et Medea, Bacchas Troadas ex alio fonte, Cyclopem Heraclidas ex Φ, denique Aeschyli triadem Byzantinam.[11]) inveniuntur variae manus; una totius codicis volumen scripsit et cum exemplis iterum conferens nonnulla addidit et correxit, altera eiusdem aetatis ex ipsis exemplis argumenta aliquot et additamenta, verbi causa ex Φ ea quae φ scripserat addidit, quamquam ita quoque haud raro res se habet, ut $P\varphi$, $P^2 \Phi$ secuta esse videatur. eadem Iphigeniae Aulidensis versus 1570[12]) usque ad Danaes vs. 36 supplevit, tertia quam usquam recurrere non memini reliqua Danaes adiecit; rubricator titulos et personarum notas per totum volumen, etiam Iphigeniae Aulidensis ultima et Danaen, pinxit. at nihil iuvat in enotanda scriptura haec ita discernere; imo ea, quae primitus scripta sunt ab eis quae ex exemplaribus postea inlata sunt, uti in Laurentiano per signa C et C^2 ita hic per P et P^2 distinguenda sunt. denique in Italia recens, quam facile distinguis, manus interpolatrix, doctior quidem nec tam perniciosa quam c per totum codicem grassata est. quamvis Elmsleio haec imposuerint, nec Kirchhoffius satis ab eis sibi cavere potuerit (unus tamen est, qui iusto ea loco habuerit, titubant et Dindorfius et Nauckius, inperitiores foedissime cadunt) eadem constantia omnes istae, fortasse Musuri, coniecturae in recensione prorsus procul habendae sunt, in emendatione eorum is fere usus est,

---

10) De Danaes origine quoniam probabilem non habeo, nullam periclitor coniecturam.

11) Cur P ab ordine Φ desciverit, partim proximo libro elucebit, partim ne quaeri quidem potest. Byzantinae enim libidinis et Φ ipse et Aeschylearum in Laurentiano 32, 9 ordo satis luculenta exempla. ne id quidem dicere ausim, interisse tres primas Sophoclis fabulas in Φ, cum in P non adpareant; nam nimis nota a P omissa esse probant Hecuba Orestes Phoenissae absentes, quarum si voluisset habere poterat exempla; at Aeschyli apud Byzantinos raro extiterunt praeter tres primas tragoediae.

12) Conlatorum error est, aliam manum vs. 1572 i. e. pagina 147^a incipere, nam duos ultimos proximae paginae 146^b versus eadem scripsit. ceterum in iudicanda origine exodi hanc quaestionem nullius esse momenti, intellegentes existimatores his disputationibus, quibus sane idem probatur, docerentur non oportebat.

quem in Latinis poetis ex Italorum coniecturis capimus, aut inter Graecos Musurus in Hesychio praebet. Vix opus est exponere, quae leges recensionis, modo haec vera sint, necessario consequantur. ut mittam prioris ordinis fabulas, quas nunc non curo, in Bacchis recensendis nihil mutatum est, nisi quod Laurentiano paullo plus fidei habebimus, in tribus quas C solus praebet fabulis via non monstrata est alia, sed abstersis interpolationibus vera, quam novimus obrutam, aperta est. at in sex reliquis id agendum est, ut ex conparata apographorum lectione primum ipsum Φ deinde φ quoque, quod bona et genuina praebere certe potest, restituatur, fundamentum iustae recensionis unicum.

Haud ignoro et brevissimum et aptissimum futurum fuisse, si ea quae modo posui ipsa fabularum recensione probassem. at vires meas hoc onus longe superabat, quoniam in recensendo subsistere, manibus ab omni emendatione procul habitis, nec possumus nec debemus. itaque exempli gratia Supplices et recensere et ut potui emendate describere conatus sum, ceteroquin via et pulvere et taedio plena incedenda erat, quam si quis mecum ingredi voluerit, nolit expectare, criticis observatiunculis aut coniecturis aut criticorum censura aut aliis quibuslibet inlecebris taedia, quae variis lectionibus constipatis parantur, conditum iri: nefas duxi ulli alii rei studere atque perspicuitati. at quae huc facerent omittere certe nolui.

2.

Ordior a fabulis, quas et C et P ex Φ sumpserunt. quod ut probari possit cunctos locos conponere et examinare debemus ubi C et P diversa exhibent. quod facile foret (pauci enim sunt) si lectiones codicum satis notae essent. nunc vero facere non poteram, quin conparata Kirchhoffii adnotatione cum eis quae ipse ex codicibus enotassem primum omnes locos enumerarem, qui diversas lectiones per errorem conlatorum praeberent, (quibus quod hic illic interposui si quando utriusque lectiones rectiores proferre poteram, neminem mihi succensurum esse spero) secundo loco omnia conposui etiam nota, ex quibus duplici archetypi lectione discrepantia quae videbatur codicum nulla esse cognoscitur, denique ea secuntur, quae re vera diversa adparent vel mihi adparuerunt, nam diligentiores fortasse haud unum locum ex tertia in secundam primamve classem relegabunt; agmen

claudunt dubii si qui fuerunt loci. at pauca etiam praemonenda habeo; Dindorfius, cuius editione me usum esse supra dixi, ξ atticum ubi locum habere potest, ἐς ante consonas εἰς ante vocales (quo perversius cogitari nequit) κλάω ἀεὶ similia γίγνομαι γιγνώσκω augmenta diphthongorum ευ et αυ alia id genus ad arbitrium restituit non monito lectore. est ubi discrepantias codicum his quoque in rebus notaverim; at difficillimum est ad ea per multa milia versuum adtendere, neque cum conferre codices inciperem, satis diligenter animum ad res per se pusillas et pro codicis ω natura nullius pretii adverti. nolint igitur quaeso lectores nimis confidenter ex silentio meo quidquam concludere. at in universum dicere possum, vel hisce in minutiis codices ita conspirare, ut lectori inde potissimum quam arto cognationis vinculo iuncti sint adpareat. denique metricam discriptionem non excerpo, professus, praeter locos dubios (nam nulla in re c inpudentius mutavit, nec P satis diligens fuit) mihi nullum praesto esse locum qui discriptionem re vera diversam praebeat. hoc quoque nisi in fratribus aegre explicari possit. denique in prima classi non repeti, quae apud Kirchhoffium recte posita sint, vix necesse est praemoneam. mea enim ab eis tantum qui Euripidis vere studiosi commentarium Kirchhoffii de manibus non deponunt lectum iri haud ignoro. at in versuum numeris non Kirchhoffianum sed solitum nunc ab ipso quoque receptum ordinem sequor.

Cyclops.

A. Loci post novam conlationem congruentes.

In argumento et personarum indice *Σιληνός*. CP.

vs. 2 *εὐθένει* quod L. Dindorfius coniecit praecepit p. non opus.

13 *πυθόμενος* (*πειθόμενος* P) *σὺν τέκνοισι* PC. *ἐγὼ* ante versum supplet c, *οὖν γε* ante *σύν* p.

27 *κλιτύων* PC. quae Kirchhoffius aut ex silentio aut ex apographis recte conclusit non noto amplius.

33 *ἁρπάγη* PC. fere semper iota subscriptum omittitur, quod non erat notandum neque notavi.

41 *χορὸς σατύρων* PC.

43 *νίση* C *νίση* (ει superscr.) P quod idem est.

46 *διναεν* C, P post rasuram, *δειναεν* ante.

49 *οὐ τᾶδ' οὔ οὐ τᾶδε νέμει* PC.

50 *κλιτὴν δροσερὰν* PC. *οὔτ' οὖν* interpolavit c.

vs. 55 *σπαργῶντας μαστοὺς χάλασον*. PC. *μοι τοὺς* post *σπαργῶντας* interpolat c.
61 *λιποῦσα* PC. *λείπουσα* c.
63 *τᾶδε* utrobique PC.
66 *κρήναις* PC. *κρήναισι* c.
68 *οὐδ' ἐννύσσα* P et haud dubie C ubi post interpolatorem, qui *οὐ νύσσα* fecit, genuini superest . . . *νύς* . .
75 *σείεις* PC. *σείων* c.
76 *πρόπολος* PC. *πρόσπολος* c.]
86 *ἄνακτα* PC. *ἄνακτας* c.
88 *φέρονται* PC.
118 *ἔχοντες* P² C. *ἔχον* P quod oscitantiae scribae tribuendum videtur.
155 *γεῦσαι νυν* PC.
172 *ἐγὼ κινήσομαι* PC. nihil aliud, quid verba apographi Parisini sibi velint, nescio.
202 *πάρος εὖ* PC. *γ'* inserit c. versum spurium esse infra demonstrabo.
207 *ἦ πρός γε* PC.
233 *ἐόντος* PC. *ἐῶντος* p.
238 *τάδωλια* PC plurimis locis evincitur, in *Φ* persaepe aut non extitisse crasin et elisionem aut ab inperito demum intrusas esse. unde ingens numerus corruptelarum ortus est.
244—351 C solus habet.
293 *οἵ τε Σουνίου* C. *ἥ τε Σ.* c.
296 *δύσφρον' ὀνείδη* C *δύσφρονά γ' ὀ.* c.
338 *λιπεῖν* C. *λυπεῖν* C².
346 *ἀμφὶ κῶμον* C.
359 *κρεωκοπεῖν* PC.
361 *προσδίδου* PC. *προδίδου* c.
365 *θυσίαν* PC. nam P qui primum *θυσίας* scripserat se ipse correxit.
380 *ἐντρεφέστατον* nihil aliud PC.
413 *ὦ τοῦ ποντίου* PC. correxit in Aldina Musurus.
417 *ἔσπασεν ἄμυστιν* PC.
425 *σὺν ναύταις* PC.
447 *ῥυθμοῖσί νιν* PC.
483—504 choro tribuunt PC. *ἡμιχόρια* introduxit c.
498 *ὑπαγκαλίζων* PC. error conlatoris in P propter conpendium proclivis erat.
511 *ὄμμασι* PC. *ὄμμασιν* c.
513 *ἀμμένει* PC. at legerat Furia *ἀμμεί*, et insolentissimum in C conpendium.
525 *οἴνους* PC.
541 *λαγνῶδες τοὐδας* PC.
545 *τιθεῖς* PC. *τίθης* c. scilicet *Φ* cum Cobeto Mnem. IX 373 facit. cui utique obtemperandum. cf. v. Bamberg. Zeitsch. Gymnas. 1874. 28.
546 *καταλάρῃ* PC. *καταβάλῃ* p.
555 *φῂς* PC.
563 *θές νυν* PC. *νῦν* suprascripto *δή* c.
572 *παπαί* PC, uti hoc fere accentu utuntur.

vs. 588 lineola praefixa PC, quae secundum codicum usum Cyclopem tantum designare potest, idque verum est. P, qui in loco lineolarum, quas Φ praebuit, C praebet, plerumque personarum notas ponit, per totam hanc scaenam idem fecit, hoc vero in versu lineolam retinuit: haesitabat scilicet ut recentes editores.

589 deest personae nota.

604 *αὐτόν τε* PC.

632 chori nota clara et distincta PC.

637 *χολοί* PC.

660 *ἔτνας* PC.

674 *σύ· τίς ἂν* PC.

678. 9. personarum notae desunt PC.

683 Cyclopis nota post *ἔχεις* C, ante P, at per errorem manifestum rubricatoris, nam scriba iusto loco spatium vacuum reliquit.

684 *παίσας* PC, nam P ipse cum *παῖδας* scripsisset se correxit.

686 *περιάγουσι* PC.

690 *δῶμ'* PC.

696 *αἶ αἶ* PC. in hac scriptura sibi constant.

705 *σὺν ναύταισι* PC.

B. Duplices lectiones iam ex Φ sumptae.

30 *τῷδε δυσσεβεῖ* PC. *τῷ τε δυσσεβεῖ* C² non c.

32 *ἔχει* P. *ἔχει* C. (superscr. *οι*) *ἔχει* verum, alterum vana suspicio φ, quae unde nata sit, aegre dispicias.

38 *καὶ ὅτε* C *χὤτε* C²P. cf. ad 238. idem 2.

54 *ἀγροβότα* C· *ἀγροβάτα* C²P.

60 *ἀμφιβαίνεις* CP. *γρ. ἀμφιβάλῃ* fortasse C². *ἀμφιβαλῇς* c. locus lectu difficillimus.

124 *ἄχορον* C P. *ἄχαριν* C².

207 *εἰσὶ καὶ ὑπὸ* C. *εἰσὶ χὐπὸ* P et haud dubie C² oblitus a c qui *εἰσὶν ἢ ὑπό.*

419 *πρὸς καλὸν* P. *πρὸς καλὸν* C (superscr. *ἢ*) utrumque a manu prima.

468 *ἀποστέλλω* CP. *ἀποστελῶ* C²P².

476 *ἐκθρύψομεν* CP. *ἐκτρίψομεν* C².

503 *γάνυμαι δαιτός* CP. *δέ* inserit C² non c.

560 *Σιλ. . . μὰ δί'* C. habuerit igitur, quod coniectura Hermannus repperit, *οὐ μὰ δί'.* erasum ignorat P. *μὰ* a Byzantinis productum esse constat.

561 *ἀπομυκτέον δέ σοι . . . . ὡς λήψῃ πιεῖν* C. certum igitur, extitisse *σοί ἐστιν ὡς*, quod verissimum est. *σοὔσθ' ὅπως* coniecit Kirchhoffius. *σοί γ' ὅπως* C²P.

661 *μηδ'* PC. *μή σ'* P²C².

C. Loci, ubi apographis diversa traduntur.

erravit manifesto P.

vs. 13 *πυθόμενος* C. *πειθόμενος* P. coniectura verum invenit p.
53 *στασίωρον* C. *στασίορον* P.
183 *περὶ τοῖν σκελοῖν* C. *περὶ τὴν σκελοῖν* P.
355 *νομίζῃ* Cp. *νομίζει* P. nescio an futurus sit, qui P ex hoc errore laudare cupiat, quia nos secundam passivi per *ει* scribere consuevimus. at erravit P, nam *Φ* scripturam illam ignoravit.
427 *βούλῃ* C. *βούλει* P.
513 *λύχνα* C. *λίχνα* P.
561 *ἀπομυκτέον* Cp. *ἀπομικτέον* P.
565 *ἠμύστισα* Cp. *ἠμίστυσα* P.
haec omnia ex neograeco pronuntiandi more provenerunt, tam pusilla, ut etiamsi conpluria omiserim non ita multum me pigere possit. vel magis pusilla haec sunt,
14 *κατὰ ζήτησιν* C. *κακαζήτησιν* P.
60 *εἰς αὐλὰν πότ'* C ut coniecit Dindorfius *εἰς αὐλάν ποτ'* P.
118 *ἄντρ'* C. *ἄντ'* P.
236 *σπλάγχν'* C. *σπλάγχ'* P.
442 *πανούργου* C. *πανούγου* P.
445 *ἕρπειν* C. *ἕρπει* P.
nam haec vitia sunt, quae invito excidunt scribae, dum verum se pingere credit; qua de causa ad haec quoque excerpenda non nimis adtendi, eis quae praesto erant contentus, quoniam ad id sufficiunt probandum, multo neglegentiorem fuisse P quam C, serio discrepare hisce in minutiis codices dici non posse. at commisit P etiam graviora.
106 *πάρει* C. *πάρα* P. vel hodie C ostendit hoc ipso vocabulo quam facile *α* cum conpendio *ει* confundi possit.
502 *πα πα πᾶ* C. *πᾶ πᾶ πᾶ* P. anapaestus flagitatur, atque veram interiectionem, quam C praebet, L. Dindorfius invenerat.
506 *σέλμα γαστρός* C. *σέλας σταστρὸς* P.
510 *φέρε μοι ξεῖνε φέρ' ἀσκόν* C. *φέρε μοι φέρε ξέν' ἀσκόν* P. hoc paene interpolatum dici potest. susurrabant in auribus scribae anacreontea Byzantina.
605 *ὑπ' ἀνδρός* C. *ἀπ' ἀνδρός* P.
dein omittendo peccavit.
526 *ὅπου τιθεῖ τις ἐνθάδ' ἐστὶν εὐπετής* C.
ὅπου τιθεὶς ἐνθ. κ. τ. ἑ. P.
verum *τιθῇ τις* invenit Porsonus, nam nihil iam est cur cum Kirchhoffio de interpolato C cogitemus.
544 sq. *ΣΕΙ. κλίθητί νυν μοι πλευρὰ θεὶς ἐπὶ χθονός.*
ΚΥ. τί δῆτα τὸν κρατῆρ' ὄπισθέ μου τιθεῖς;
ineptum et lacerum hoc est. nam ex sequentibus liquido elucet, Cyclopem Sileni hortatui obsecutum adcubuisse; at ut nunc versus se excipiunt, nihil aliud dicit Cyclops nisi, ***quid, si me adcumbere***

iubes, cratera pone me conlocas? quod absurdissimum non uno nomine est. debebant igitur editores ἰδοῦ, quod Aldina Cyclopis verbis praemittit, etiamsi Musuri coniectura esset, (nec tamen coniciuntur talia) recipere. at C dilucide idem praebet. apographa igitur Laurentiani eadem desipiente sapientia poetam correxerunt qua librarius P; omisere scilicet, quibus numeros pessumdari credebant.[1]) cf. Arist. Equ. 1237 ubi εἶεν extra versum positum unus V servavit.

vs. 604 ναύτας τ' C. ναῦς τ' P.
addidit etiam perversa, plerumque repetendo sive litteras sive syllabas, quo in iudicando memineris velim ultimas verborum syllabas saepissime per conpendia scriptas iam in Φ fuisse.

369 δωμάτων C. δωμάτων τ' P.
in loco difficillimo nihil certius est, quam τ' illud socordiae scribae deberi, ultimam litteram vocis δωμάτ̃ repetentis.

373 ἐφθά τε δαινύμενος C. ἐφθά τε καὶ δαινύμενος P.

638 ταυτὸν πεπόνθατ' C. ταυτόν τε πεπόνθατ' P.

C peccavit.

198 στένοι P. στένει C. ex pronuntiandi vitio.

204 Διόνυσος P, διώνυσος C. eadem de causa.

390 σκύφος δέ P. σκύφος τε C. in istis particulis multi scribarum errores nobis occurrent.

481 ἐμοὺς P. ἐμοῖ C. omissa littera accentum quoque mutavit.

dubii loci.

in argumento παρὰ αὐτῶν C. παρ' αὐτῶν P.

87 in fine versus αὐχέσι C. αὐχέσιν P. solet Φ litteram paragogicam eo loco omittere, raro discrepant apographa. c et p saepe eam supplevere.

495 unicus locus paullo gravior. verum certissima coniectura restituit Hermannus μάκαρ ὅστις εὐιάζει.
C habet μακάριος ὃς εὐιάζει.
P μακάριος ὅστις σεβιάζει.
hinc sequitur Φ habuisse μακάριος ὅστις εὐιάζει. P propter pronuntiandi vitium peccavit, C omittendo τις, gravius sane neque ut interpolationis metricae suspicionem effugere posset.

---

1) Graviter vituperandi sunt editores excepto Kirchhoffio, qui ne monito quidem lectore notam ante vs. 485 ᾠδὴ ἔνδοθεν quam PC praebere sciebant, omittendam duxerunt. an idem in μυγμῷ Eumenidum vel Arist. Av. 223 facturi sunt? si quando raro casu accidit, ut tales notulae aetatem ferrent, id iusto gaudio extollendum nequaquam opinor adroganti silentio premendum est.

3.

Heraclidae.

A. Loci post novam conlationem congruentes.

vs. 5 αὐτῷ PC. αὑτῷ c. at cum librarii Byzantini ad spiritus omnino non adtendissent, nihil iuvaret talia monere.

22 γε θέσθαι PC.

26 συμφεύγουσι συμφεύγω PC.

60 μενεῖ PC.

87 λεώς PC Elmsleius. λαός c.

90 ἀλλὰ τοῦ PC.

91 χερὶ PC. χειρί c.

116 πρὸς τοῦτον ἀγὼν ἄρα PC. πρὸς τόνδ' ἀγών τις ἄρα c. omissa est personarum nota PC. at 115 etiam in P aderat nunc eluta, ne bis eadem nota eidem orationi praescriberetur.

117 καὶ μάλιστ' ἂν P et ante rasorem C. καί illud Coprei nota est delapsa ex versu praecedente.

129 μὴ βαλεῖν PC. μοι βαλεῖν c.

135 καίπερ οὐ PC. at ex silentio concludo.

140 τούτους γε PC. τούσδε p. Scaliger.

159 πάλιν PC. πάλην p.

165 ἦ PC.

168 παίδων τῶνδ' PC. τε add. c.

188 ὧδ' PC.

200 ἡ γὰρ αἰσχύνη PC. C² add. λείπ. interpolat p ἐνδεῶς pro ἡ, c in fine βάρος.

203 λίαν PC. γ' add. c.

204 ἄγαν PC. γ' add. c.

224 οἴμοι κακῶς PC. οἴμοι κακῶν recte c.

243 συλᾶσθαι PC. συλλᾶσθαι c.

245 ὀκνῶ PC.

247 εὐτυχέστερον PC. εὐτυχέστερος recte coniecit apogr. Paris.

251 τοῖσδ' ἔτ' εἰ PC.
τοῖσιδ' PC. τοῖσί γ' c.

252 κυρήσεις P. κυρήσει. C.

262 οὐκοῦν ἐγὼ τῶν δ' ἐνθάδ' εἰμὶ κύριος; PC.
corrigendum igitur ex more quam maxime Euripideo τῶν γ' ἐνθάδ'.

271 θένειν PC.

313 αἱρεσθαι PC.

323 ὡς εὖ τ' ἐδέξω nihil aliud PC.

356 μεγαληγορίαισι δ' ἐμὰς PC. μ. δέ γ' ἐμάς c.

359 Ἀθήναις PC. Ἀθάναις c.

394 PC praebent insipidum scholion ad λεπάραν, quod ex λεπαίαν corruptum esse iam Stiblinus vidit, ὄνομα τόπου.

398 ἄραρ' PC. ἄρηρ' c. in hoc vitio inferendo sibi constat.

vs. 409 *Δήμητρος* quod Barnesius reppererat P. *Δήμητρ..*, C quod idem est; *δήμητρί γ'* c.

413 *ἄκοντ' ἑκών* PC.

416 *δίκαιον ἡ* PC.

427 *ναυτίλλοισιν* PC.

430 *πνοιαῖσιν* PC.

435 *τοῦδ' εἰ* C et P quamquam in rasura tamen a prima.

454 *σωθήτω* PC. *δ'* et *σ* in C non solum Furia sed iam apographorum scriptores confuderunt.[1])

455 *φιλεῖν δεῖ* PC.

459 *μὴ 'μαθεῖ* PC.

494 *καί μοι δὲ λέγει μέν* PC.

504 *οὕνεχ' αἱρεῖσθαι* PC.

509 *φύντας* PC.

548 *λέξης* PC.

557 *θνήσκειν γ' ἀδελφοὺς ὠφελεῖς* PC.

568 *κοσμεῖσθαι* P. *κοσμ....* C. *κοσμῆσαι* c.

576 *ἀρέσκουσι* PC.

583 *πάροιθε* PC. *ν* add. c.

597 *εὐψυχίας* PC. *εὐψυχία* p

611 *ἄλλον* PC. *γ'* add. c.

617 *ἕξει* PC. *γ'* add. c.

626 *εὐγενείας* PC.

633 *κατηφές* PC.

640 *ἥκες* PC.

649 *τοσόνδ' εἰδέναι* PC. *τοσόνδε δ' εἰδ.* c.

673 *παρῆκται σφάγια* PC. *τὰ σφάγια* c.

685 lineola personam indicans perperam omissa 696 perperam addita PC.[2])

685 *σθένοιμι* PC.

689 *μαχοῦμαί γ'* P, C ante rasorem, Elmsleius. *μαχοῦμ'* c.

690 *προστιθεῖς* C. *προστιθείς* P. *προστίθης* c.

696 *τοῖσδ' οὖσι* PC. *τοῖσδ' οἷσι* c.

733 *οὐκ ἐγὼ* PC. *κοὐκ ἐγώ* c.

δοκῶ PC.

---

1) Luculentissimum eius confusionis exemplum Helena praebet 298

ὅταν πόσις πικρὸς
ξυνῇ γυναικὶ καὶ τὸ δῶμ' ἐστὶν πικρόν.

ita codex verissime. *δῶμα* dicitur quod antea *πλουσία τράπεζα* vocatum est; nec desunt similia velut Med. 77. fortasse hoc nunc etiam editoribus ita videbitur, qui etiamsi Scaliger verum proposuisset aut in errore apographorum (etiam *Γ*) conlatorumque subsistere aut incredibilia moliri maluerunt.

2) Ceterum iam facile patet, Madvicum (Adv. I. 243) partem veri vidisse. permutat ille 684 et 687. at ponendi sunt 685. 6. 7. 4 post 690. et causam omissionis et quam apte *δρώσης χερός* et *δρᾶν* se excipiant nemo non perspicit.

vs. 736 σὺ ταῦτα PC.
740 εἴθ' ὦ PC. εἴθε p. si recte lectum est.
741 ἡνίκα σὺν Ἡρακλεῖ PC.
745 ὀρθῶς ἔχων PC. ὀρθῶς ἔχον c.
750 φαεσίβροτοι PC.
751 ἐνέγκατ' PC.
756 καὶ περὶ δόμων PC. περὶ τῶν δόμων c.
766 σύμμαχος PC.
769 ἥσσους εἴτ' ἐμοῦ φανοῦνται PC. λείπ. C². φανεῖται p. ἥσσονές ποτ' ἂν οὔτ' ἐμοῦ φανοῦνται ut videtur c.
774 δορύσσοντα PC. τᾶδ' an τάδ' P habeat, non notavi neque tutum ex silentio conligere.
777 ἐπὶ σοί nihil aliud PC. ἀλλ' in principio add. c.
778 λάθει ut Kirchhoffius coniecit PC. p nescio quid mutavit.
780 ναῶν PC. νέων ut Barnesius recte coniecit c. cf. El. 1348.
781 δ' ἐπ' PC. δέ γ' ἐπ' c.
789 ἀγγέλμασιν PC.
794 μάλιστα PC.
801 ἀντετάξαμεν C. ἀντεταξάμεν cum P pusillo errore scripsisset P² non accentum sed conpendium mutavit, ita ut nunc ἀντεταξάμην adpareat.
805 εἶα σὰ μέν PC.
839 Ἀργείων PC.
855 σταθέντ' PC. diserte testatur nec extare nec extitisse ες in C, quod dispicere sibi visus est ipse Victorius, qui mea causa aliquot locos denuo examinavit ultro oblata humanitate vir doctissimus Benedictus Niese.
857 ἐκδὺς αἰθρίου C et P ex silentio meo.
863 πάροιθεν PC.
886 ἀνάγκη PC. quod eodem iure dativus et nominativus haberi potest, hic ergo dativus est.
893 λοτοῦ PC. corr. c.
902 τοῦδ' PC. τόδ' c.
903 ὁ μή PC. δέ inserit c.
906 ἐπισήματα PC. ἐπίσημα c.
909 ἀεί PC. αἰεί c.
911 θεὸς γόνος PC.
912 ἀΐδα PC. uti hoc vocabulum in canticis plerumque scribitur.
914 δαϊσθείς PC.
915 χροΐζει PC. cf. Cycl. 498 in classi A.
924 ἔσχε δ' PC.
930 τῶνδέ τ' PC.
965 τοῖσιδ' PC.
973 καὶ τί φημὶ κἂν μεῖναι τινά PC.
inde a 1002 P deest.
1014 πρὸς ἃ εἶπας C. γ' inserit c.
1018 χορ. C. ἢ ἄγγ. add. c.
1019 δοκεῖ πόλει C.

vs. 1026 τὴν δὲ δὴ πόλιν C.
1044 τοὺς δέ τε C.

B. Duplices lectiones iam ex Φ sumptae.

8 εἷς ἀνὴρ Ἡρακλεῖ PC. verum igitur ac paene traditum Porsoni εἷς ἀνὴρ Ἡρακλέει. ὤν margo C. ὤν post ἀνήρ inserit P².

38 τόνδε C τῶνδε (ον) P. loci corrupti certa medella nondum reperta videtur.
132 μέλλειν PC. at τ' addidit C² non c. interpolaverit ergo φ.
193 Ἀχαιικόν P et corrector C, utrum C² an c sit certo dicere non potui. Ἀχαικόν C. potest igitur etiam C errasse.
279 μένειν PC. μένει quod verum est C² non c.
285 ἐνθένδ' οὐκ PC. ἐνθένδε δ' οὐκ quod verum est C² non c.
355 ξεῖν' Ἀργόθεν ἐλθών C. verum igitur coniecit Erfurdtius. ξ. Ἀ. ἐπελθών C²P.
513 κἄπειτα τινὰ P qui postmodo fecit δεινά. κἄπειτα τινὰ (δει) C. habemus igitur ex utroque lectionem φ δεινά, cui ego fidem non negaverim.
597 εὐψυχίας PC. εὐψυχία P² non p. nullus dubito, quin hic Φ verum praebuerit, quod scribae iota mutum fere ignorantes praeterierint.
619 προσπεσών P προσπεσών (πιτνῶν) C. nolim igitur Elmslei προπίτνων repudiare.
673 τάξων PC. τάξεων P²C².
693 μενοῦντα PC. μενοῦντος C².
789 ἐλευθερῶσαι PC. ἠλευθερῶσθαι quod verum est C² non c.
859 ἄρει PC. γρ. αἱρεῖ C margo. αἱρεῖ quod idem est p (non P²) divinando invenit.

his adicienda series locorum eiusdem generis qui quod supra monui probant, Φ elisiones crasesque fere ignorasse, φ easdem intulisse, C secutum esse primam manum, C²P secundam.

52 καὶ ὁ C. χὠ C²P.
70 ἀμύνετε ἱκέται C. ἀμύνετ' ἱκέται C² ἀμύνεθ' ἱκέται praeter solitum animadverso errore leviusculo P.
173 καὶ ὁ ἐν in rasura C. χοὐν C²P.
190 δικαιοῦντα ὅστις C. δικαιοῦντ' ὁ. C². δικαιοῦνθ' ὁ. P. uti 70.
857 ἥβην τε C. ἥβην θ' C²P.
877 θύσετ' ὧν PC². θύσετε ὧν C.
928 δέσποινα ὁρᾷς C. δέσποιν' ὁρᾷς C²P.
939 φρένα ἐκ C. φρέν' ἐκ C²P.
967 δόξαντα Ὕλλος C. δόξαντ' Ὕ. C²P.
985 λέξοντα ὅθεν C. λέξοντ' ὁ. C²P.
992 καὶ ἔγνων C. κἄγνων C²P.

arbitror hac in re iam satis esse cognitam et archetypi et apographorum naturam. itaque nisi potiora non amplius excerpo.

C. Apographis diversa traduntur.

P erravit.

Non e re visum est omnes huius apographi errores per genera disponere, sufficit enim, opinor, quod in Cyclope dedimus exemplum. quin etiam nonnullos locos, in quibus pusillum errorem quem C vitaverat, a P commis-

sum sive P[a] sive p correxerat, omnino aut non enotavi ex codicibus, aut enotatos hic repetere nolui. cordati homines mecum consentient, operae pretium non futurum fuisse, et recte me fecisse, quod et meo et aliorum tempori parcerem.

vs 10 *τἀκείνου* C. *κἀκείνου* P. *τὰ κείνου* c. Barnesius.
41 *ἡ δ' αὖ τὸ* C. *ἡ δ' αὐτό* P.
45 *Ὕλλος* C. *Ὕλος* P.
80 *τετράπτολιν* C. *τετράπολιν* P.
138 *ὁμαρτῇ* C. *ἁμαρτῇ* P.
205 *σοί* C. *σύ* P.
242 *τό τ' αἰσχρόν* C. *τὸ δ' α.* P.
282 *ἥβην* C. *ὕβριν* P. hoc quoque, modo pronuntiationem reputes, leve vitium.
294 *βασιλεῦσι* C. *βασιλεύσει* P.
304 *εἰς τοὔσχατον* C, *εἰ τοὔσχατον* P.
305 *οἱ τοσῇσδ'* C. *ἡ τοσῇσδ'* P.
338 *λάθη* C. *λάβη* P.
346 *ἀπαλλαχθῇς* C. *ἀπαλλαχθῇ* P.
354 *μέλονται* C. *μέλλονται* P.
384 *τι* C. *τοι* P.
386 *μάλ'* C. *μάλλ'* P.
395 *σκοπεῖ* C. *σκοπεῖν* P.
398 *μέντοι* C. *μέν* P. aegre adduci potero, ut C interpolasse credam.
433 *ἔτεριψας* C. *ἔτρειψας* P.
472 *βουλήν* C. *βολήν* P.
499 *τἄλλα γ'* C. *τἄλλα δ'* P.
500 *τρέσης* C. *τρέσεις* P.
515 *ἀλητεύω* C. *ἀλιτεύω* P.
549 *βούλεσθε* C. *βούλοισθε* P.
551 *τοῖσδε* C. *τῇσδε* P.
582 *εὐδαιμονοῖτε* C. *εὐδαιμονεῖτε* P.
588 *σώτειραν* C. *σώτηραν* P.
596 *κακῶν* C. *κακόν* P.
704 *μὲν* C. *μή* P.
713 *μελήσει* C. *μελήση* P.
720 *ὅπλων* C. *ὅπλω* P.
736 *λεύσσης* C. *λεύσσεις* P.
737 *εὐτυχοῦντά γε* C quod sanum puto. *εὐτυχοῦντά σε* P.
755 sq. *μέλλω* C. *μέλω* P.
805 *ἐπὶ τήνδε* C. *ἐπεὶ τήνδε* P. quoniam *τί τήνδε* verum esse videtur, C propior vero.
836 *ἐπαλλαχθείς* C. *ἀπαλλαχθείς* P, at de C iudico ex silentio.
848 *λέγοι μὲν ἄλλος* C. *λέγει μὲν ἄλλος* P (nihil aliud notavi) verum *λέγοιμ' ἂν ἄλλων* cui C propior.
918 *παῖδας* C. *παῖδα* P.
943 *προσβλέπειν* C. *προβλέπειν* P.
983 *θωπεύσοντα* C. *θωπεύσωντα* P.

C erravit.

vs. 386 ἔστιν P. ἔστι C.
581 ὑμεῖς δ' P. ὑμεῖς τ' C.
825 παρήγγειλ' P. παρήγγελλ' C.
899 τελεσσιδώτειρ' P. τελεσιδώτειρ' C.

loci dubii.

27 σὺν κακῶς πράσσουσι συμπράσσω κακῶς C. συμπάσχω P.
hodie praefertur συμπάσχω et fatendum est, ita originem vitii facilius intellegi. me tamen πάσχω cum adverbio iunctum offendit, ut C libentius secuturus sim. at digladiari nolo in re, quam certo dirimere is tantum poterit, qui et sermonis naturam et usum melius noverit quam ego.

4.

Ion.

Quoniam Supplicum recensionem legitimam huic disputationi adiunximus, ex fabulis, quas a C et P ex eodem libro desumptas esse contendimus, quatuor restant in parte evulsa codicis Φ scriptae. at Rhesum cum prioris quoque ordinis codices eamque multo emendatiorem contineant omnino procul habendam esse patet. ego vero, cui et fabula ipsa profecto satis absurda et ingentes codicis Φ mendae taedium moverent, non plura contuli, quam quae idem quod in Ione et Iphigeniis, in Rheso quoque locum habere probarent. quae hic repetere nihil adtinet: si quis vero et his et gravioribus, quas fere excerpsi, codicis C lectionibus ad rem seriam uti volet, ei mea semper praesto fore profiteor.

Iudicium in his fabulis non tam pronum est, quam in tribus prioribus. nam et C ab alia manu scriptus est et ex numero errorum, quos P commisit, certissimo iudicio conligimus non per correctores quidem at per tempus tineasque hanc partem codicis Φ, postquam C ex ea descriptus est, multa vulnera contraxisse. accedit quod Ion et Aulidensis Iphigenia (nam Taurica non multo diversam a Supplicibus prae se fert speciem) plurimis in versibus duas exhibebant lectiones, quarum cum modo utramque manu prima apographa referrent, modo manu secunda alteram supplerent, modo alteram omitterent, secuti nequaquam certo usu aut priorem aut posteriorem, quanto in discrimine et in legendis codicibus et in iudicandis lectionibus versaremur, exemplis probarem, nisi peritos docere adrogantis esset. quos ut in summa huius disputationis consentientes habiturus sim, non vereor. at hercle per-

velim, conlationes meae iterum cum codicibus conferantur, modo ne ex delicatulis quisquam hoc onus capessat, qui semel et in transcursu inspectis paucis locis diiudicari opinetur, utrum a prima an a secunda an ab interpolatore Italo locus correctus sit, hocine an illud in rasura lateat. ego cum ad has fabulas transeo, duas res certissimas habeo, me et saepe errasse, (saepe enim idem non Furiae tantum sed diligentium hominum errores correxi) et pro oculorum mentisque et acie et sollertia nisi in minutiis adcuratiora dare non potuisse.

A. Loci post novam conlationem congruentes.

vs. 4 *λάτριν* PC. *λάτρην* c.
9 *χρυσολόχου* PC. *χρυσολόγχου* p.
14 *ἀγνῶς* PC.
22 *φρουρῶ* PC.
40 *ειλικτόν* PC.
81 *ἐγώ* PC. *ἔγωγε* c.
134 *εὐφάμοις δὲ πόνοις* P et C ante rasorem (c).
151 *αἰεί* PC.
156 *χρίπτειν θριγγοῖς* PC. correxit Musurus.
162 *ἄλλα* i. e. *ἄλλᾳ* PC.
167 *λίμνας ἐπίβα* PC.
174 *χωρῶν δίναις* PC. *ἐν* inserit c.
195 *ἐμαῖς* PC.
217 *ἀπολέμοις* PC. *ἀπολεμίοις* c.
222 *ξένοι* PC.
251 *ἔσχομεν* PC.
257 *φρόντιζέ τι* PC.
264 *τοσαῦτα· κεὐτυχοῦμεν* PC.
282 *τριαίνεις* PC. *τριαίνης* p.
312 *αὖτις* PC. constat sibi *Φ* in hac scriptura.
318 *καὶ τίς* PC.
331 *εἶπον εἴ μοι ξυλλάβη* PC.
337 *ἄργος ἡ θεός* PC. schol. C versus marginem scriptum *ἡ αἰδώς*.
340 *πάρος* PC.
342 *ἀθλία* PC.
370 lineola praefixa PC.
386 *σὺ δ'* P. *σύ.* C. *σύ γ'* c.
416 *πάρος* PC. *πάλος* c.
429 *ἡ ξένη* C et P qui errorem quem commiserat *οἱ ξένοι* ipse statim correxit.
430 *αἰεὶ* PC.
434 *προσήκει τοὖδας* PC.
435 *πρόχουσιν* PC. *πρόχοισιν* p.
441 *πεφύκει* PC.

vs. 449 [1])

452 λοχείαν εἰλείθυιαν ἐμάν PC.
463 παραχορευομένω PC.
465 σύ τε καί PC. τε del. c.
479 ὡς ἔξοντες PC. γ' add. c.
486 βασιλικῶν τ' εἶεν θαλάμων PC. c traiecit vocabula positis α β litteris, at non Aldinae voluit ordinem sed θαλάμων βασιλικῶν τ' εἶεν.
487 γε τέκνων PC. γε del c.
494 μυχοὶ] δαισὶ PC.
521 φυγεῖν PC. φιλεῖν c non C[2].
522 ῥήξεις PC.
533 ἐσφάλης PC.
541 τούτω PC. at cautus homo nihil coniciet nisi antiquum illud τοῦτο.
559 ἤ PC. ἦ p. Barnesius.
565 οὐδὲν ἄν PC.
610 αὐτὴν καθ' αὐτὴν PC.
676 δάκρυα καὶ PC. μὲν inserit c.
677 στεναγμῶν τ' P et C in quo τ' nunc erasum est.
679 ἤδη PC.
681 ἔχρησας ὑμνωδίαν PC. εἰς inserit c.
691 τόδε τ' εὔφημα PC post correcturas; quid primitus fuerit, nescio. τοδί ποτ' εὐ. c.
693 ἐξ PC. ἀφ' c.
703 ὄλοιτο PC. ὄλοιτ' ὦ c.
705 θεοῖσι PC. θεοῖσιν c.
735 codices uti in personarum indice ita hic quoque παιδαγωγόν omnino ignorant. πρεσβύτης igitur vocandus est.
753—56 lineolae personas indicantes desunt PC.
759 εἶπ' ὡς PC.
775 εὐτυχῶ PC. εὐτυχεῖ p.
785 ΠΡ. κἄμοιγε ΚΡΕ. PC.

---

1) Hic temperare mihi non possum, quin paullulum digrediar. 449 sq. ex PC et Iustino martyre de monarch. I. 128 ita scribuntur

οὐκέτ' ἀνθρώπους κακούς (sic Iustinus, κακῶς PC)
450 λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν καλὰ
μιμούμεθ' ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε.

post Stephanum 450 κακά scribitur, iniuria, ut mihi quidem videtur. dicit enim Euripides acerba at nequaquam obscura ironia homines malos non esse vocandos, qui ea imitentur, quae apud deos bona sint. utut hoc est, hos versus ita scriptos a Iustino aut a Iustini conpilatore acceperat Lactantius cum Euripidem verissimae sententiae testem excitavit „quae hic mala putantur, haec sunt in caelo bona.“ (Inst. V. 15. 11) delendum igitur fragmentum quod inter dubia posuit Nauckius 1100. at non sine gaudio leges, quem in modum sanctissimus homo hoc versu usus sit, quo vel Euripides vix protulit magis inpium.

vs. 799 φίλαι PC. in C nunc erasum est.
807 παῖδα παιδί PC.
832 αἰεί PC.
870 οὐ τὸ PC. μά interpretamentum suprascripsit c.
886 αὐγὰν αἰθέρος PC. αἰθέρος del. c.
909 ὅς ὀμφάν PC. γ' inserit c.
910 μεσήρεις PC. μεσσήρεις c.
915 ἐς οἴκους PC. εἰς οἰ. c.
916 σὸς ἀμαθής PC. γ' inserit c.
925 θύγατερ. PC. ὦ add. rubricator P cui fidem, etsi recte coniecerit, negaverim.
927 κακόν PC.
968 εἰσορῶ PC. εἰσορῶν c.
984 ὤμοι PC.
1009 αὐτὸ 'γώ PC.
1035 versum qualem Byzantina fabrica eum procudit exhibent PC.

ἰδία δὲ μὴ πᾶσι χωρίσας ποτόν

nihil iuvant nec coniectura p, qui μὴ ἐν ἅπασι voluit, nec recentiores.
1048 ἐνοδία PC. εἰνοδία c.
1059 πόλεος PC. πόλεως c.
1075 παρά PC.
1076 ἐννύχιος PC. alterum ν erasit c.
1081 κόραι quod Heathius restituerat PC. κοῦραι a c demum profectum est.
1083 ἀενάων praeter solitum PC.
1115 κὲν ὑστάτοις PC.
1128 μὲν νῦν PC.
Pleraque sane leviuscula sunt neque per se spectata alius videri possunt generis atque quae supra excerpsimus. at vel librariorum neglegentiae certi denique fines sunt, et levissima numero gravia fiunt. quis consensum librariorum viderit ubi in octavo quoque versu discrepant? neque vere gravia desunt; confer, ut de titulo et argumentis sileam (etsi C personarum indicem adscripsit), quotiens alter verba ab altero omissa praebeat, quin genuinus versus 14 in P deest, quod per quinque fabulas nusquam nobis occurrit. sed verbis, opinor, opus non est. nam ut lectiones non probent (evincunt tamen), vidimus in C scriptam esse tragoediam in quaternione soluto per manum nusquam praeterea occurrentem, mutilam non laeso C sed iam a scriba suppetente charta non perfectam. aegre perspici posset, quo modo plus quam dimidio saeculo post in Φ integra extitisset. porro in P quoque per locum, quem inter Alcestidem et Troadas occupat, a fabulis ex Φ oriundis segregatur. atque cum Alcestis non quidem ex Φ, at ex codice eiusdem familiae fortasse apographo codicis Φ sumpta sit, eo deducimur ut Bacchis eandem vindicemus originem atque Troadibus, qua Laurentianus caret. idem alia quoque via reperitur. scriptor enim Christi patientis ex Euripidis tragoediis usus est Hecuba Oresta Hippolyto Medea Rheso Troadibus Bacchis, nulla igitur quam in Φ extitisse constet. atqui quo usus est codex eiusdem familiae fuit cuius Troadas

Bacchasque per P servatas habemus. perspicuum igitur est casu tantum factum esse, ut Bacchas per codices familiae posterioris servatas habeamus, cum eiusdem ordinis sit atque fabulae Byzantinae scholae sordibus immunes, scholiis veteribus instructae; quin fieri potest, ut in Vaticano et Havniensi codice mutilatis sub finem olim Bacchae Rhesum exceperit. a fabulis ordinis posterioris seiungendam esse infra alia rursus ratione certissimum fiet: nunc satis habeo unum, quod mihi obverti posse scio, refellere. redit scilicet Troades Palatini ad codicem qui triginta octo versus in pagina habuit, Bacchae Palatini ad codicem viginti versuum. namque Troad. 193, 194, 195 in fine, 232, 233, 234 in principio mutilati sunt, quod abscissa paginae parte factum esse consentaneum est. at Bacchas exhibet Palatinus hiatu ingenti deformatam post vs. 1330, qui Agavae orationem chori quaedam Bacchi orationis principium hausit. quadraginta versibus post iterum hiare orationem Hermannus omnibus persuasit. secuntur versus, si dis placet, anapaestici, quos me iudice rectissime Byzantino falsario tribuit Nauckius, etsi ceteris editoribus persuasisse non videtur. at iuvat primos saltem sicut in codice leguntur excribere, nam inproba sollertia barbariem eis deterserunt critici.

ΑΓ. *στέρομαί σε πάτερ* *ΚΑ.* *κἀγώ τέκνον*
καὶ σὰς ἐδάκρυσα κασιγνήτους (-*τας* recte Brunckius)
δεινῶς γὰρ τάνδ' αἰκίαν
Διόνυσος ἄναξ
τοὺς σοὺς εἰς οἴκους ἔφερε
ΔΙ. *καὶ γὰρ ἔπασχον δεινὰ πρὸς ὑμῶν*
ἀγέρατον ὄνομ' ἔχων ἐν Θήβαις
ΑΓ. *χαῖρ' ὦ πάτερ μοί* *ΚΑ.* *χαῖρ' ὦ μελέα θύγατερ*
χαλεπῶς εἰς τόδ' ἂν ἥκοις. κτ. ἑ.

nec numeri nec sententiae corrigi debent. parili enim excellunt ineptia poetaeque ostendunt genuinum ingenium, gemelli scilicet eius qui eadem numerorum suavitate cecinit Dan. 61

ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τύραννον χθονὸς τῆσδ' κτἑ.

et elegantioris etiam illius, cuius vindex nuper extitit Weilius, qui Iphigeniae Aulidensis exodum eiusdem farinae anapaestis dignum in modum conclusit

χαίρων Ἀτρείδη γῆν ἵκου Φρυγίαν
χαίρων δ' ἐπάνηκε
κάλλιστά μοι σκῦλ' ἀπὸ Τροίας ἑλών.

utrumque tamen sublimi et lepido ingenio noster superavit, qui bellam clausulam πολλαὶ μορφαί κτἑ. Baccharum fabulae adnecteret. ergo divino numine adflatae maenades ex interitu mortalis qui deum earum repulerat, ex maiestate dei quem inde a principio cecinerant luculenter exhibita id didicere, inexpectata per deos perfici — at id non dubitaverant; spes irritas cadere — cuiusnam? an forte eorum qui in deum credunt? sunt, qui ex ipsa absurditate Euripidi ista vindicaturi sint. ego in eius sanam mentem credo. itaque summas gratias habeo Nauckio, qui fraudem inpudentem significaverit. quae cum ita sint, nihil ad videndum facilius, quam absumpta ultima parte codicis unum superfuisse folium, continens illud versus quadraginta 1331—70.

num vero inde consequitur, Bacchas et Troadas a P non ex eodem sumptas esse codice? minime vero. nam Troadum versus valde probabile est labem in archetypo demum codicis, in patre ut ita dicam, contraxisse, quoniam ab omni interpolatione imo a signo λείπει vacui sunt. Bacchae vero diu antea id perpessa est: nam non tam celeriter Byzantinus stupor eatenus se concitat, ut partem tragoediae suppleat; revocamur igitur ad avorum aliquem codicis Palatini.

8.

Iam ad quatuor fabulas prioris ordinis quas C et P continent transeundum esset, ut probarem, non quidem ex eodem libro eos pendere, at multo propinquiorem esse cognationem quam nunc videretur, differre autem eo potissimum quod P ex vulgari recensione interpolatus esset. deinceps recusari non posset quin quaereretur quaenam fides lectionibus huius familiae vel, ut rectius dicam, lectionibus Φ prabenda esset. Kirchhoffius paucissimam eam voluit, me longe benignius iudicare non infitior, praesertim in Alcestide et Medea, in quibus Marciano caremus. neque tamen ad liquidum hoc perduci potest nisi denuo conlatis Parisino et Havniensi (nam Marcianum cum Kirchhoffius sua diligentia excussit, tum in Hippolyto et Andromacha ego quoque), quorum ille praeterquam in Andromacha bene omnino numquam conlatus est, hic a Niebuhrio quidem at a Niebuhrio adulescente et codicum Graecorum lectioni parum adsueto. itaque nunc certe totam quaestionem cum incohata se perfici non posse doceret curis posterioribus seposui.

Restant tres fabulae, quas per unum Laurentianum aetatem tulisse omnibus persuaserat Kirchhoffius. credebamus igitur in eo subtiliter conferendo unicam salutem recensioni harum fabularum positam esse. nuper ad laetissimam spem inexpectato nuntio excitati sumus. nam in Fleckeiseni annalibus CV 525 cum commilitonibus Euripidis amicis communicavit Rudolfus Prinzius se ab H. Hinckio, viro inter iuniores in codicibus legendis longe exercitatissimo, conlationem Helenae accepisse non ex Laurentiano solum sed etiam ex novo eoque integriore trium fabularum fonte, codice olim abbatiae Florentinae 2664 desumptam. quoniam nihil aeque piget quam thesaurum, quem iam manibus tenere credebamus, evanescere, contentissimus eram, quod, cum Prinzii nuntium accepi, decipi non amplius poteram: per multos menses utrumque codicem in eadem mensa positum excusseram; constitit mihi dudum codicem olim Abbatiae 172 (is enim solus hodie valet numerus), Γ meum, ex Laurentiano C descriptum esse. at nihilo secius utilissimus est siquidem ante interpolationes c descriptus est, neque id nimis neglegenter (neglexit potissimum discriptiones metricas, neque solet binas in eodem loco proferre lectiones.) imaginem igitur primo obtutu sanequam integriorem offert quam ipsum archetypon. itaque legem, quae in eo usurpando regnaret, iam mihi praescripseram, scilicet ut in omnibus locis, ubi aut prima manus interisset aut inter C^2 et c iudicium ambigeret, Γ inspiceretur, atque tacito etiam eius nomine cum lectione non interpolata congruere crederetur: at quidquid peculiare haberet, omnino tamquam aut errore aut coniectura natum (rarae autem coniecturae) silentio praeteriretur. inutili enim onere auctoritatem vere gravium submergere vim atque naturam recensionis aut nescire est aut spernere. neque post Prinzii quamvis fortiter et saepius prolatam opinionem consilium mutavi, ne otio meo satis parco aut lectorum meorum benignitate abuti viderer; qui otio eatenus abundat, ut apographa Parisina et foedissima et per Fixium vel nimis nota adierit, ei gratum faciam, si tot bellas lectiones proferendas ex iniquis tenebris ei reliquero. denique „adfirmanti incumbit probatio.“ Prinzius vero se loco indicato ingenuitatem codicis Γ demonstrasse dicit quidem, at tantum abest, ut demonstraverit, ut ego eisdem locis non quidem ad probandam sententiam meam (talia enim non ex quatuordecim locis sed aut ex integra discrepantia codicum aut ex selectis ad gravi-

tatem exemplis probantur) sed ad infringendam Prinzianam contentus sim. protulit ea, quae secundum Hinckii conlationes diversa in Helenae trecentis primis versibus observaverat: quatuordecim tantum loci sunt. conferas velim quot supra ex fratribus PC enotatos habeas. at ex hisce septiens *Γ* cum C′ consentit, (a c dissentire *Γ* quid probat?) semel cum nota marginali C,[1]) ter corruptelam eius lectionis, quam C′ habet, praebet — nimirum haec integriorem fontem ostendunt. restant tres igitur loci hi Hel. 3 *γυίας* C *γύας* *Γ* 8 *δώμασιν* C *δώμασι* *Γ* 202 *αἰσχύνως ἡμᾶς* C′ *αἰσχύνας ἡμᾶς* C² *αἰσχύνασ' ἡμᾶς* *Γ*. quis crediderit, hinc novam et inauditam rem firmari? ceterum 3 *γύας* C *γυίας* c. ex *ν̄ ἐφελκυστικῷ* et spiritu perperam addito quae pendet opinio non mihi tantum mox casura esse videbitur.

Quod autem Prinzius argumento Helenae, quod ex *Γ* propagatum est, confidit, ne tum quidem quidquam probaret, si vere antiquum esset: servavit vitam Euripidis bonae frugis plenam unus codex Pal. 90 descriptus ex Vat. 909. at argumentum istuc a genuinis, quae *Φ* continuit, abhorret, neque dubitaram de novicia eius origine diu ante quam fontem eius nossem.

Haeseram diu, utrum huic libello totam insererem trium fabularum conlationem, an paucissimis locis excerptis satis probata codicum fide viris doctis siquibus in re seria occupatis usui esse possent offerrem privatim usurpandam, sicut de Rheso promisi, de reliquis siquae habeo nunc promitto: media tandem via placuit, praemissis paucis Helenae Herculisque pagellis Electrae recensionem proponam integram.

Atque plenam codicis discrepantiam primum adscribere ad Helenae tria ultima cantica cum voluissem, cognovi et facilius et clarius fore descripto codice C, additis seriorum manuum lectionibus. moneo tamen, me non ex ipso codice totam versuum seriem descripsisse, sed secundum enotata postmodo contextam proponere.

---

1) Uti par est, apographon C² fere sequitur, etiamsi falsa praebeat. veluti Helen. 1083 *ποτερὸν ἐς οἴκους σοὶ συνεισελθεῖν με χρήν;* C′. lege *χρῆς; πότερα δ' — χρὴ* C²*Γ*. Electr. 195 *εὐχαῖσι θεοὺς* C′ Seidler. *εὐχαῖς θεοὺς* C²*Γ*. *εὐχαῖς τοὺς θεοὺς γε* c. 1157 *ἰκόμενον εἰς οἴκους* C′ Seidler. *ἐς* C²*Γ*. Herc. 978 *τόρ.ευμα* i. e. *τόρνευμα* quod Matthiae invenerat C. *τόρευμα* C²*Γ*.

Helen. 1107 *σὲ τὰν ἐν αὐλείοις ὑπὸ δενδροκόμοις*
μουσεῖα καὶ θάκους
ἐνίζουσαν ἀναβοάσω
σὲ τὰν ἀοιδοτάταν ὄρνιθα μελῳδόν
1110 *ἀηδόνα δακρυόεσσαν*
ἐλθὲ διὰ ξουθᾶν
γενύων ἐλελιζομένα
θρηνοῖς ἐμῶν ξυνεργός
Ἑλένας μελέας πόνους
τὸν Ἰλιάδων τ' ἀειδούσα
δακρυόεντα πόνον
1115 *Ἀχαιῶν ὑπὸ λόγχαις*
ὃς ἔδραμε ῥόθια μέλεα
πριαμίδαις ἄγων
ὃς ἔμολεν ἔμολε πεδία
βαρβάρῳ πλάτα
λακεδαίμονος ἀ. .
1120 *λέχεα σέθεν ὡς εἷλε*
πάρις αἰνόγαμος
πομπαῖσιν Ἀφροδίτας.
πολλοὶ δ' Ἀχαιῶν δορὶ καὶ πετρίναις
ῥιπαῖσιν ἐκπνεύσαντες
ἀίδαν μέλεον ἔχουσιν
1125 *τάλαιναν ἀλόχων κείραντες ἔθειραν*
ἄνυμφα δὲ μέλαθρα κεῖται
πολλοὺς δὲ πυρσεύσας
φλογερὸν σέλας ἀμφὶ ῥυτὰν
εὔβοιαν εἷλες Ἀχαιῶν
μονόκωπος ἀνὴρ πέτραις
καφηρίαις ἐμβαλὼν
αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς

1108 *ειινίζουσαν* c. 1113 *ἐμῶν* ex *Γ*. *ἐμ . .* C. *ἐμοῖς* c. an *θρηνῶν ἐμοί*?

1113 *ἀειδούσα* i. e. dativus C. Lachmann. *ἀεί:δουσα* C²*Γ*. 1116 sqq. *ὃς ἔδραμε-πριαμίδαις ἄγων* et *ὃς ἔμολεν-πλάτα* traiecit litteris positis C² neglectum a *Γ*. 1119 scriptura C rasura interiit *ἄπο* C²*Γ*.

1123 *ἐν δορὶ* c. 1125 *τῶν ἀλόχων* c. 1127 *πολλά* C² suprascripto *ὰ*, neglectum a *Γ*.

1127 *εἰλ . .* C restitutum ex *Γ*. *εἰλ'* c. 1135 *νεφέλαν* C'*Γ*. *ας* suprascribit C².

1130 δόλιον ἀστέρα λάμψας·
ἀλίμενα δ'ὄρεα μέλεα
βαρβάρου στολᾶς
ὅτε σὺ τὸ πατρίδος ἀπόπρο χευμάτων πνοᾶ
τέρας οὐ τέρας ἀλλ' ἔριν
1135 δαναῶν νεφέλαν
ἐπὶ ναυσὶν ἄγων
εἴδωλον ἱερὸν ἥρας
ὅτι θεὸς ἢ μὴ θεὸς ἢ τὸ μέσον
τί φὴς ἐρευνήσας
βροτῶν μακρότατον πέρας εὖ-
1140 ρεν ὃς τὰ θεῶν ἐσορᾶ
δεινὰ καὶ αὖθις ἐκεῖσε
καὶ πάλιν ἀντιλόγοις
πηδῶντ' ἀνελπίστοις τύχαις
σὺ διὸς ἔφυς ὦ ἑλένα
1145 θυγάτηρ πτανὸς γὰρ ἐν κόλποις σε λή-
δας ἐτέκνωσε πατὴρ
καὶ ἰαχὴ σὴ καθ' ἑλλανίαν ἄδικος
προδότης ἄπιστος ἄδικος ἄθεος οὐδ' ἔχω
τί τὸ σαφὲς ὅτι ποτ' ἐν βροτοῖς
1150 τὸ τῶν θεῶν ἔπος ἀλαθὲς εὗρον
ἄφρονες ὅσοι τὰς ἀρετὰς πολέμω
κτᾶσθε δορὸς ἀλκαίου
λογχαῖσι καταπανόμενοι
πόνους θνατῶν ἀπαθῶς
1155 εἰ γὰρ ἅμιλλα κρίνει νιν
αἵματος οὔποτ' ἔρις
λείψει κατ' ἀνθρώπων πόλεις
αἳ πριαμίδος γᾶς
ἔλιπον θαλάμους
1160 ἐξὸν διορθῶσαι λόγοις
σὰν ἔριν ὦ ἑλένα
νῦν δ' οἱ μὲν ἀίδα μέλονται κάτω
τείχεα δὲ φλογερὸς ὥστε Διὸς ἐπέσσυτο φλόξ

1146 C rasura periit. Λήδας C²Γ.
1148 ἀδίκως proprio vitio Γ. προδότις C²Γ. ἄδικος hoc loco del. c.
1150 τῶν del. c.
1162 ἐπέσυτο c. 1663 αἰλίνοις Γ. γρ. ἰλίοις suprascribit C², qui: post ἀθλίοις ponit, obsequente Γ. ἐν συμφοραῖς et in fine prioris versus λείπ. c.

ἐπὶ δὲ πάθεα πάθεσι φέρεις
ἀθλίοις συμφοραῖς αἰλίνοις

1301—68 excerpere licet.

1307 κόρας C. κούρας c.
1310 ὅτ^τε C. ὅτε Γ.
1323 γ' ἐπέρασ' CΓ. in C δ' a C².
1332 πόλεων C. πολέων c.
1336 ἐκβάλλειν C Hermannus. ἐκβαλεῖν c.
1353 ὅσια C.

1451 φοίνισσα σιδωνιὰς ὦ
ταχεῖα κώπα ῥοθίοισι μῆρ
εἰρεσία φίλα
χοραγὲ τῶν καλλιχόρων
1455 δελφίνων ὅταν αὔραις
πέλαγος νήνεμον ἦ
γλαυκὰ δὲ πόντου θυγάτηρ
γαλάνεια τάδ' εἴπη
κατὰ μὲν ἱστία πετάσατ' αὔραις
1460 λιπόντες ἐναλίαις
λάβετε δ' εἰλατίνας πλάτας
ὦ ναῦται ναῦται
πέμποντες εὐλιμένους
περσείων οἴκων ἑλέναν ἐπ' ἀκτάς.
1465 ἦ που κόρας ἂν ποταμοῦ
παρ' οἶδμα λευκιππίδας ἢ προνάου
παλλάδος ἂν λάβοις
χρόνῳ ξυνελθοῦσα χοροῖς
ἢ κώμοις ὑακίνθου
1470 νύχιον ἐς εὐφρόναν
ὃν ἐξαμιλλησάμενος
τροχῷ τέρμονι δίσκου
ἔκανε Φοῖβος τᾶ Λακαίνα γᾶ
βούθυτον ἡμέραν
1475 διὸς δ' εἶπε σέβειν γόνος
μόσχον θ' ἂν λίποιτ' οἴκοις
ἃς οὔπω πεῦκαι πρὸς γάμων ἔλαμψαν
δι' ἀέρος εἰ ποτανοί

1452 ῥοθίοισι C. Canter. ῥόθοισι c. 1462 inter ναῦται ponit ἰὼ c.
1470 εἰς ς. 1474 ἐβούθυτον C². neglexit Γ.

γενοίμεθα Λίβυες
1480 οἰωνοὶ στολάδες
ὄμβρον λιποῦσαι χειμέριον
νίσονται πρεσβυτάτα
σύριγγι πειθόμεναι
ποιμένος ὃς ἄβροχα
1485 πεδία καρποφόρα τε γᾶς
ἐπιπετόμενος ἰαχεῖ
ὁπόταν αἱ δολιχαυχένες
σύννομοι νεφέων δρόμον
βᾶτε πελειάδες ὑπὸ μέσας
1490 ὠρίωνα τ' ἐννύχιον
καρύξατ' ἀγγελίαν
εὐρώπαν ἐφεζόμεναι
μενέλαος ὅτι δαρδάνου
πόλιν ἑλὼν δόμον ἥξει
1495 μόλοιτέ ποθ' ἵππειον οἶμα
δι' αἰθέρος ἱέμενοι
 αι
παῖδες τυνδαρίδες
λαμπρῶν ἄστρων ὑπ' ἀέλλαισιν
οἳ ναίετ' οὐράνιοι
1500 σωτῆρες τᾶς ἑλένας
γλαυκὸν ἐπ' οἶδμ' ἅλιον
κυανόχροά τε κυμάτων
ῥόθια πολιὰ θαλάσσας
ναύταις εὐαεῖς ἀνέμων
1505 πέμποντες διόθεν πνοάς
δύσκλειαν δ' ἀπὸ συγγόνου
βάλετε βαρβάρων λεχέων
ἃν Ἰδαίων ἐρίδων
πονηθεῖσ' ἐκτήσατο τὰν
1510 οὐκ ἐλθοῦσαν ἐς Ἰλίου
φοιβείους ἐπὶ πύργους.

1480 *στοχάδες* C²Γ. 1481 *χειμέριον λιποῦσαι* C²Γ Hermannus. 1492 *εὐρώταν* ignorat codex. 1495 *οἶδμα* C²Γ. *γρ. ἅρμα* C. non sine gaudio videbis ex situ ac tenebris snscitari formam, quam divinum Hermanni ingenium praesagiverat.

1510 *ἐλθοῦσαν .. ἰλίου* C. ut voculae *ἐς* vestigia adpareant. *ἐλθοῦσ' ἐς Ἰλίου* Γ hinc illud probabile ratus sum. an *γᾶν οὐκ ἐλθοῦσά περ*?

Ex Hercule cum omnino tum a c quoque minus crudeliter vastata adscribam canticum quod integrum ex codice ipso sumpsi, ut uno saltem exemplo, quatenus per humanam manum fieri potest, plena eius ante oculos ponatur imago. at antequam ad illud me convertam, liberabo nomen fabulae indigno additamento *μαινόμενος*, quod nimis diu critici tolerarunt. tragicos unum tantum nomen tragoediis inscripsisse cum ratio tum usus docet. cum autem eandem personam alteri tragoediae inscribere vellent, fieri potuit, ut adiectivo uterentur, quamquam apud Aeschylum nec Glauco nec Prometheo satyricae didascaliae agnomen aliunde notum addunt, et, quandoquidem Sophoclis Philoctetam 409 doctam post Philoctetam in Troia conscriptam esse longe probabilissimum est, vel duas fabulas cognomines extare passi esse videntur. quid quod Aeschylum trilogiae *Προμηθέα* tantum inscripsisse non distinctis singulis tragoediis haud absurde conici potest. at grammatici necessaria signa addiderunt, non semper consentientes, cuius memorabile documentum Aiacis argumentum prostat; interdum numeris contenti fuisse videntur, at apud Sophoclem tantum, cuius binae memorantur Phinei Athamantes Thyestae, quamquam Thyestas etiam ex locis, in quibus res agebantur, distinguebant. hic prudenter additum reperitur *μαινόμενος* quoque, scilicet ut *Ὀδυσσεὺς μαινόμενος* et *ἀκανθοπλήξ* distinguantur. quae apud Aeschylum Sophoclemque propter laceram quae ad nos pervenit traditionem incerta videri possunt, apud Euripidem certissima sunt. nam Iphigenia et Alcmeo alterae post mortem poetae doctae sunt, restant *Ἱππόλυτος καλυπτόμενος* et *στεφανηφόρος*, *Μελανίππη σοφή* et *δεσμῶτις*; *καλυπτόμενον* ut priorem tragoediam non ipse ita vocavit, neque profecto *σοφήν*, quod non sine irrisione quadam dictum est. reliqua ab ipso profecta esse possunt, (quamquam hoc diiudicari nequit), certe apta sunt cognomina. at constanti hoc usu *Ἡρακλῆς μαινόμενος* damnatur. neque saepe Herculis fata tragoediis celebrabantur, itaque ne inde quidem excusationem petere possis. extat tamen, si indices evolvis, consimile exemplum *Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ* Sophoclis. at hoc male finxerunt recentiores; testimonia *Ἡρακλέα*, *Ἡρακλεΐσκον*, *ἐπὶ Ταινάρῳ* vel *ἐπιταιναρίους σατύρους* norunt. nihil verius antiquiusque quam *ἐπὶ Ταινάρῳ σάτυροι*; notum opinor est, legitimum fabulae satyricae nomen *σατύρους* non *σατυρικὴν* esse; (satyricam fabulam non *σατύρους* sed *σάτυρον* dicit Demetr. de eloc. 169, si fides libri

corruptissimi lectioni) atque designari singulas fabulas adiectivo ad *σατύρους* addito, veluti *Θερισταί Κωφοί Αὐλῳδοί*; ad praepositionis usum cf. Platonis *ἀφ' ἱερῶν* Alexidis *εἰς τὸ φρέαρ*. Hercules satyrica cur eadem fuisse dicatur atque *ἐπὶ ταινάρῳ σάτυροι* nescio, fieri potuisse non infitior; at Heracleiscus, satyrica bis ab Orione memorata, sine ulla ratione imo contra rationem huc relata est. vel sine Theocriteo carmine de Hercule puero esset cogitandum, in nominibus autem quae semel certam notionem sumpserunt sibi constare Graecum est. neque profecto centum et tredecim Sophoclis fabulas pernovimus. *Ἡρακλέα ἐπὶ Ταινάρῳ* sustulimus, neque *μαινόμενος* melius resistet. quippe nemo ex veteribus, qui Euripideae fabulae meminerunt, hoc additamentum novit. nihil enim huc facit Sueton. Ner. 26. conposita invenis testimonia in praefatione Nauckii ad fragmentorum editionem minorem, quibus adde schol. Eur. Or. 73, Dind. II. 52, 22. inde profectus extirpandum illud esse conieceram, fabulamque sine molesto additamento Herculem vocaram *zukunftsphilologie* I. adn. 51. admodum gavisus sum, cum C non magis eius vestigium mihi obtulit quam tota veterum memoria. etiam apographa Florentina eo carent, Musuri igitur videtur inventum, sive ad Senecae fabulam non maiore iure ita vocatam, sive ad inficetam quam ex Euripide conpilavit Philostratus imaginem fictum est.

Tandem ad propositum revertor. ecce Herc. 890—922

κακοῖσιν ἐκπετάσουσιν: (890) *ἰὼ στέγαι*
οὐ βρομίω κεχαρισμένα θύρσω.

(895) *βοτρύων ἐπὶ χεύμασι λῶβας: φυγῆ τέκνα ἐξορμᾶτε . .*
κυναγετεῖ, τὲ τέκνων διωγμόν: οὔποτ' ἄκραντα δόμοισι
(900) *αἶ αἶ δῆτα: τὸν γεραιὸν ὡς στένω . . .*

ζήτ.: ἰδοὺ ἰδού: (905) *θύελλα σείει δῶμα· συμπίπτει στέγη*
τάραγμα ταρτάρειον: ὡς ἐπ' ἐγγελάδω ποτὲ παλλὰς
(910) *ἀνακαλεῖς με τίνα βοάν: —: ἄλαστα τὰν δόμοισι*
αἶ αἶ: στανάζεθ' ὡς στενακτά: δαΐοι φόνοι:
— *οὐκ ἂν τις εἴποι μᾶλλον . . . πεπόνθαμεν*
ἐξαγγ. λέγε τίνα τρόπον ἔσσυτο θεόθεν
ἀγγ. ἱερά κτέ.

κατάρχεται χόρευμα τυμπάνων ἄτερ.

ἰὼ δόμοι: πρὸς αἷματ' οὐχὶ τὰς διονυσιάδος
δάιον τόδε δάιον: μέλος ἐπαυλεῖται.

λύσσα βακχεύσει . . αἶ αἶ κακῶν:

πρᾶ τάν τε παιδοτρόφον μάταν τέκεα γεννᾶται:
ἠῆ͂· τί δρᾷς ὦ διὸς παῖ: μελάθρω;

εἰς δόμους πέμπεις: ὦ λευκὰ γῆρα σώματα.
μάντιν οὐχ ἕτερον ἄξομαι —: τεθνᾶσι παῖδες
(915) *δαΐοι δὲ τοκέων χέρες:*

χορ. πῶς παισὶ στεναχτὰν ἄταν ἄτᾶν (ω above) *πατέρος ἀμφαίνεις . . .*
(920) *ἐπὶ μέλαθρα κακὰ τάδε τλήμονάς τε παίδων τύχας.*

In spatiis vacuis, ex Φ igitur, addit personarum notulas C² 890 ante ἰὼ στέγαι 893 ante ἰὼ δόμοι 900 ante αἶ αἶ κακῶν 901 ante αἶ αἶ δῆτα 906 ante ἤή 911 ante ὦ λευκά. praeterea erasit 896 α in τέκνα, post ἐξορμᾶτε ut videtur : addidit ; post πέμπεις 908, posuit in rasura ἢ 916 in quo eum secutus est Γ; erasit 918 ut videtur :, supplevit : post παιδοτρόφον 902, post ἀτὰν 917. rasura post στένω 900 a C ipso facta videtur, qui falso loco πρα scripserat et errorem tum demum animadvertit, cum sequentem versum incepisset. itaque ibi quoque πρα in rasura est. Γ proprio vitio παῖ praebet. praeterea cum C′ vel C² consentit, at lineolas, ut quas non intellegeret, omnes omisit usque ad Χορ. 920 eodem modo quem cetera quoque apographa secuta sunt. sera manus in Γ — ante 916 posuit. c διὸς παῖ 900 traicit, 915 χεῖρες scribit et traiectis vocabulis aut magnis lineis 907 μελάθρω 913 παῖδες membrum rythmicum non finiri significat.

non mihi contigit ut emendationem cantici novis subsidiis innisus perficerem. at ut iam exploratum est, quod quidam coniciendo adsecuti erant, stropharum lacera membra superesse, ita canticum inter personas divisum esse codex testatur. vs. 890—892 = 893—95 hemichoriis tribuenda puto. at loqui etiam aliam personam, intra domum scilicet, versus 900 — αἰαῖ κακῶν· — αἰαῖ δῆτα τὸν γεραιὸν ὡς στένω evincit. nec quisquam illos clamores edere potest nisi Amphitruo. sunt quae iam facile dirimantur, cum tamen quae non eadem probabilitem enucleare possim non desint, cohibitis conaminibus acutiorum iudicium expectare malui.

Agmen claudat Electra, quae ultimo loco semper, neque hoc tantum nomine, poni solet. notum est editionem principem a P. Victorio Romae 1545 paratam esse. qui quonam codice usus esset non indicavit, at fuisse Laurentianum dudum intellectum est, positumque eum in bibliotheca S. Laurentii eo tempore fuisse, cum aliunde colligitur tum quia in folio quodam Medeae (172) nomen suum Franciscus Zephi intulit, canonicus iis temporibus S. Laurentii de quo cf. Bandinii indicem. ex Victorii editione recensio pependit, donec apographorum simulata auctoritas eam infringeret. nuper demum ad contemptam fabulam virorum doctorum studium se convertit. novam codicis conlationem edidit 1869 Upsaliae C. A. Walberg. at conlatio parvi aestimanda, editio pessima est, ut iure de ea tacuerit Kirchhoffius, cum in Hermae

volumine quinto 253 sqq. conlationem a Theodoro Heysio viro venerabili, uti consentaneum erat, diligentius confectam ederet. tamen ne haec quidem satisfacit, vel ea de causa, quod Heysium ut Victorium codex Γ defecit. et singulari sane errore factum est, ut in indicandis vel vulgata vel propria coniectura Heysius signo γρ. usus legentes in errorem necessarium deduceret. quod data opera nuper Prinzius exposuit (Fleckeisen. ann. CVII 315), codice conlato sponte intellegitur. excribam ego quae codex aliter atque editio princeps exhibet, tacite correctis conlatorum erroribus. at eis, quae recte legerunt, conpendia adscripsi, per W Walbergio per H. Heysio significatis; ea vero quae aut per apographa aut per Furiam constabant cancellis saepsi.

Titulum ex subscriptione sumptum add. C². C' magnis literis Αὐτουργὸς suprascripsit.

argumentum et personarum index desunt. W. H. hunc addidit in Γ manus recens.

vs. 2 ἄρας C addit Victorius ι subcriptum etiam contra leges sermonis.

19 ἢ δ' C. ἦδ' Γ. ἠδ' Vict. H.

(23 ἐβουλεύσαντ'· ὡμόφρων δ' ὅμως.)

30 supra φθονηθείη μεμφθείη.

(32 φύλαξ C. W.)

34 ἡμῖν δὴ δίδωσι C. δὲ inserit C²Γ. scribendum igitur ex Stobaeo ἡμῖν γε μὴν.

43 οὔποτ' ἀνὴρ C ut Victorius. schol. δεικτικῶς ἀντὶ τοῦ ἐγώ.

44 schol. γρ. ᾔσχυν' ἐν εὐνῇ.

77 adest lineola, quam recte interpretati sunt Γ et Victorius. W.

80 schol. οὐδεὶς ἀπὸ μόνου ζῇ τοῦ ἀνακαλεῖσθαι θεούς· πρὸς τοῦτο δὲ καὶ τὸ σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει.

95 δυεῖν CΓ. δυοῖν suprascripsit C² ut semper fere. W.

(96 marg. ἵν' ἐμβάλω.)

102 supra Ἕως Ἠώς.

108 ἐγκεχαρμένω ut Victorius C. H.

116 καί μ' ἔτεκε C. καί με τέκε C² Vict. W. malim κἄτεκέν με quam Seidleri καί μ' ἔτικτε.

117 τυνδαρέου C. Vict. τυνδαρέου Γ varia lectione ex 989 sumpta. κούρα C. κόρα c.

120 φεῦ φεῦ σχετλίων C Vict. τῶν inserit c. scilicet pro iudicio suo Victorius correctoris c additamenta in iusto i. e. coniecturarum loco habuit.

122 ἐν ἅιδα C. δή addit c.

123 κει in κεῖσαι C² in rasura. idem ut par est Γ.

131 alterum οἰκτρὰν post λατρεύεις inserit c. W.

132 λιπών add. C² quem sequitur Γ.

133 πατρώαις C. W.

vs. 140 schol. πρὸς ἑαυτὴν τοῦτό φησι ἡ Ἠλέκτρα τὸ ἀφελοῦσ'.
141 .υχίους C. νυχίους C²Γ.
142 ἐπορθυβοάσω C nihil aliud. ut Victorius correxit corrector Γ fortasse ex Victorio.
148 χαῖρα C. corr. c.
150 *XO.* interpolat c.
151 post οια (Γ perverse οἶα) spatium vacuum C.
153 καλεῖς C. καλεῖ C².
159 *HΛ.* interpolat c.
167 κόρα recte Victorius ut C detersa metrici interpolatione κούρα. H.
168 ἀγροτέραν Victorius ut C. ἀγρότεραν c. ἀγρότειραν margo C.
169 post alterum ἔμολε τις inserit c. H.
170 οὐρειβάτας C. ὀρειβάτας c.
174 μέλλουσι Vict. C. μέλλουσιν c. W.
175 οὐκ ἐπ' Vict. C. ἔτ' inserit c. W.
176 χρυσέοις at έοις a C² in rasura.
177 ὅρμοις ἐκπεπόταμαι Γ = C ante rasuram. ὅρμοισι πεπόταμαι c.
178 στᾶσα χοροὺς Vict. C. β α suprascribit fortasse iam C². H. W.
(180 εἰλικτὸν C. ἑλικτὸν coniecit ut Vict. Γ.)
187 κούρας τὰ Vict. C. κ. τᾶ. c.
188 τᾶ τροία θ'. C. HW.
192 προσθήματ' C. Vict. quod leviter corrupit Γ πρὸς θήματ'. προθήματ' c.
193 δοκοῖς C. HW.
195 εὐχαῖσι θεοὺς σεβίζουσ' C Seidler. εὐχαῖς fecit C² quem sequitur Γ. εὐχαῖς τοὺς θεοὺς γε σ. c. H.
225 ἐμοῖς C aliud non dispexi. H. W.
(226 οὐ καλῶς C.)
227 κρείσσων γ' ἄρ' εἰ C. W.
232 schol. ad τοῦτο: ἤγουν τὸ εὐδαιμονεῖν.
(235 οὔ που C. ἤπου Victorius ex Dione.)
237 ἐκκείνου C Victorius. de quo Kirchhoffius erravit.
238 ˙συμφορὰς C. W.
(247 ξεῖνε C. invitus erravit Victorius.)
248 τινά C Vict. margo C. γράφεται καὶ τινὶ ἵνα ἡ ὁ νοῦς Μυκηναίων τινὶ ἐγαμήθης.
(249 οὐχ ὥ C.)
256 σε ἀναξιῶν C ante rasuram.
272 φίλαι σι C. quod φίλαι σοι esse vidit Victorius. apographa dativum fecerunt omnia. H.
273 στέργειν C'. στέγειν C²Γ.
307 πέπλοις C. πέπλους C aut ipse aut C².
310 ἀναίνομαι δὲ γυναῖκας οὖσα παρθένος C² Vict. δὲ γυμνὰς C'Γ. communi applausui, quo Kirchhoffii coniectura ἀναίνομαι δὲ γυμνάς οὖσα παρθένος traiecto 310 post 311 excepta est, adsentiri non possum. nam traiectis versibus vis anaphorae infringitur, neque 310 δὲ bene se

habet. sed summa rei in eo posita est, quod cur Castoris non sine pudore se meminisse dicat nullo modo intellegitur, nisi virginitatis facta mentione. fateor haud pulcrum hoc esse, sed quam maxime Euripideum est, qui mores *παρθένων μακρὸν δὴ μῆκος χρόνου* omni ex parte exhibere voluit. cf. Hermannum ad Or. 26. scripserim igitur asyndeto bene excusando

> *αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα κερκίσιν πέπλους,*
> *αὐτὴ δὲ πηγὰς ποταμίους φορουμένη,*
> *ἀνέορτος ἱερῶν καὶ χορῶν τητωμένη*
> *ἀναίνομαι γυναῖκας οὖσα παρθένος,*
> *ἀναίνομαι δὲ Κάστορ'.*

vs. 334 *γλῶσσα* C. W.
335 *ἐκεῖνον* C. W. H.
358 lineolam, quae Electram significat, praefigit C.
(373 *κρίνη* C.)
(378 *ἀγαθός* C.)
382 *ἐν τοῖς δὲ* C. Kirchhoffius. quod Γ in *τοῖσδε* corrupit. H.
385 *ἤθεσι* C. W.
392 signum quo ad scholion marginale revocamur C. scholion deest.
396 *εἰσδο . . .* C. *εἰσδοχὰς* C²Γ.
407 *ὅμῶς* C. *ὅμως* Γ ut Vict. *ὁμῶς* Seidler. W.
408 *νυν* C. H. W.
(409 *τροφὸν ἐμὸν* C.)
412 *πόλεως* C. Vict. W.
414 *πορσῦναι* C. Vict. *πορσύναι* C²Γ. ceterum invitos arbitror editores tandem inventam loci perturbati emendationem neglexisse.

> *κέλευε δ' αὐτὸν δαῖτα πορσῦναί τινα*
> *ἐλθεῖν ξένων τῶνδ' εἰς δόμους ἀφιγμένων*

quod ingeniose restituit Czwalina de aequab. Eurip. 43.
416 *παῖδα ἕν* C ante rasuram.
418 *ἀγγείλαιμεν* C. Vict. H. W.
424 Electrae notam praefigit C. W. 424. 5 Electrae esse re vera voluit interpolator, cuius distichon esse invenimus et Luedersius et ego.
430 *εἰς σμικρὸν* C. H.
431 *καὶ ὁ* C'. *χὼ* C²Γ. Vict. W.
432 *ἔ:βατε* C. *ἔμβατε* c ex Aristophane.
435 *φιλάδελφος* Γ in C . . . ., restituit *φίλαυλος* ex Aristophane c.
436 *κυανεμβόλοισιν* C. Vict. *κυανεμβόλοις* c ex Aristophane.
437 *εἱλισσόμενος* C. Vict. *εἱειλισσόμενος* ex Arist. c. W.
447 *πρυμνὰς* C. Vict. scribendum *τ' ἐρυμνᾶς*.
449 *ἱππό τρέφεν* C. *ἱππότας* fecit C² quem sequitur Γ.
(452 *τινές* C).
466 *ἀντὶ πτεροέσσαις* C. *ἂν* c.
473 *περιπλεύρῳ κύτει* C. *δὲ* inserit C²Γ.
474 *ἔσπευ . .* C. *ἔσπευδε* C²Γ.
475 *θ' ὁρῶσα* C. W. H. *πῶ . . .* C. *πῶλον* C²Γ.
491 *ἐξελεκτέον* C. *ἐξελεικτέον* casu Vict.

vs. (508 ἀνόητ' ὅμως C. Vict.) W. Γ per errorem personae notam ante 507 ponit. aliquando quin *integrioris fontis* sordes commemorem temperare non possum.

536 δυεῖν C. δυοῖν C² ut semper.
οὐ γένοιτ' ἴσος C. Vict. H. W. δένοιτ' legere potest qui legere nescit.

εἰδ'
538 οὐκ C. H. W. cum recto facere Victorium cum perverso Γ consentaneum est.

542 καὶ ἔκρεκον C. κἄκρεκον C. W.

οι
543 ἔχη CΓ. H.

(546 λαβών C.)

560 ἥλικα C. ἥλικ' C². W.

568 δέδορκα C. H. W.

570 γεραιὲ ἀνέλπιστον C. W.

σ
εἶπας C. quod non perspicio. εἶπας tantum Γ.

574 μετὰ ἠμάχθη C. μετ' ἠ. C². W.

576 Heysius notam desse falso testatur, neglecta lineola.

580 οὐδέποτ' ἔδοξα σὲ ut videtur C. οὐδέποτ' ἐδόξασ' hoc accentu C²Γ.

(582 δ' ἀσπάσωμαι C.)

583 ΗΛ. addidit Vict. ignorat codex.
πέποιθα . . . χρὴ C extiterat longius quiddam quam δ' ἤ quod a C² profectum secutus est Γ.

α
589 ἔβας θεὸς CΓ. H. duplicem igitur habemus lectionem, quarum alteram coniectura adsecutus est Matthiae.

593 λιτὰς εἰς θεούς Vict. C. τοὺς interpolat c. W.

600 μητέρα τε κοινωνὸν ἀνοσίων γάμων. C. Vict. hic quoque versus ex Byzantinorum numero est qui iniuria corriguntur. nam Orestam per totam fabulam matris caedem horrentem inducit Euripides, ut profecto tam nudam paricidii mentionem facere non potuerit. at consueverunt plerique Electrae fabulam tamquam absurdam despicere, Euripidi maledicere: rectius facturi, si poeta verba intellegere et emendare foedissima vitia voluerint.

603 ξυγγένωμαι C. H.

τὸ
607 κοινῇ C quod non intellego, omisit Γ. H. W.

625 supra ἔροτιν: ἑορτὴν αἰολικῶς C.

630 deest personae nota.

631 οἵ σέ γ' οὐκ' C. Pierso. quod C² quoniam Orestae versum credidit pulcre emendavit οὖς ἔγ' οὐκ. quam interpolationem Γ, integrior fons, tranquille descripsit.

(632 ἡμῖν ἂν C.)

633 δούλων potest C habuisse. C² λέξων fecit, quocum facit Γ. δείλων ut videtur c. me indice δειλῶν recte ille ex corrupta at non interpolata scriptura C² coniecisse videtur. nam δούλων valde incertum. dormitaverunt Victorio excepto conlatores.

644 ξυνῆκα C. ξυνῆκ' C² Vict. W.

vs. (647 *ἐξαιτήσομαι* C *γρ. ἐξαρτίσομαι* margo.)
648 *ἐκεῖνα* C. *γ'* add. C².
649 *τόδε: ἤγουν τὸ τῆς τύχης.*
(672 *οἰκτείρεθ'* C.)
677—82 Orestae 683—98 Electrae tribuit C.
684 *οἶδα* C.
(685 *προσφωνῶ* C.)
689 *δόμων ἔσω* C. H. W.

683 sqq. miror manifestam dittographiam nondum esse sublatam. obcaecavit sane animos virr. doct. Victorii coniectura 697, etsi legem Euripideae dictionis, quam infra exponam, violat. adscribam quibus idem dicitur distinctis orationem Electrae. Orestes num pater diras suas audiverit interrogat. respondet Electra.

πάντ', οἶδ', ἀκούει τάδε πατήρ· στείχειν δ' ἀκμή·
685 *καί σοι προφωνῶ, πρὸς τάδ' Αἴγισθον κτανεῖν,* (Seidl. *θανεῖν* C)
ὡς εἰ παλαισθεὶς πτῶμα θανάσιμον πεσεῖ
τέθνηκα κἀγώ, μηδέ με ζῶσαν λέγε
[*παίσω κάρα γὰρ τοὐμὸν ἀμφήκει ξίφει.*] (recte pessimum versum del. Nauck.)

δόμων ἔσω βᾶσ' εὐτρεπὲς ποιήσομαι
690 *ὡς, ἢν μὲν ἔλθῃ πύστις εὐτυχὴς σέθεν,*
ὀλολύξεται πᾶν δῶμα, θνήσκοντος δὲ σοῦ
τἀναντί' ἔσται τῶνδε· ταῦτά σοι λέγω.

πάντ', οἶδα· πρὸς τάδ' ἄνδρα γίγνεσθαί σε χρή

ὑμεῖς δέ μοι, γυναῖκες, εὖ πυρσεύετε
695 *κραυγὴν ἀγῶνος τοῦδε· φρουρήσω δ' ἐγὼ*
πρόχειρον ἔγχος χειρὶ βαστάζουσ' ἐμῇ·
οὐ γάρ ποτ' ἐχθροῖς τοῖς ἐμοῖς νικωμένη
†δίκην ὑφέξω σῶμ' ἐμὸν καθυβρίσαι.

Euripides igitur 684—87 694—98 perfectam Electrae orationem esse voluit.

vs. 707 *κᾶρυξ* C. *κάρυξ* C².
716 *λοτός* C. *λωτός* c.
717 *Μοῦσαν.* C.
719 *ἀρνός: ἐπίλογοι* C. *ὡς* interpolat deleto: C. W.
722 *ἀγόρους* Vict. C. *ἀγορὰς* c
725 *δώματα* Vict. C. *δῶμα* c.
727 *μεταβάλλει* Γ et haud dubie C antequam c *μεταβὰς*, quod cum *γρ.* suprascripsit C, in textum introduxit.
732 *θερμᾶ* C. H.
744 *κέρδος δὲ πρὸς* Vict. C. *δὲ* del. c. H.
747 *δοκῶ* C.
(752 *ἐμφόνιον* C. ut Victorius coniecit corrector Γ.)
769 *πατρός γ' ἐμοῦ* C². *πατρὸς . . μοῦ* C'. W.
771 nulla lineola praefixa C Vict.

vs. 772 lineola praefixa C. qua Electram significari ex lege quam ad Iph. Aul. 863 in classi A exposui sequitur. pernovit eam, uti par est, Victorius. errarunt apographa praeter Γ. conlatores dormitarunt.
773 δὲ add. C². H. W.
τίνι C' Vict. τίνος c. W.
(781 Ἀλφειὸν C.)
783 ταῦθ' Αἴγισθος. W.
792 πέλας C². πάλαι ut videtur C.
796 ἀπαρνούμεθ' C. ἀπαρνούμεσθ' c. W.
804 ἐννέπω C. ἐννέπων C².
805 λείπει Ἀττικῶς τὸ δότε, atque δότε etiam in fine versus, quod a Furia verbis poetae non esse additum paene miror.
811 σφραγῖδα C. H. W.
813 ἐπ' ὤμων C. ἐπώμων C² aut c, nam Γ neglexi.
816 τόδε C. W.
819 schol. ad Δωρίδ': εἶδος μαχαίρας ἡ δωρίς. mentitur. bene correxit Nauckius δορίδ' ἀναρπάσας.[1])
825 ἱππείους C. W. H.
826 καὶ ἀνεῖτο C. κἀνεῖτο C².
830 καὶ ὁ C. χὠ C². W.
849 φονέα τε C. W.
856 κάρα ἐπιδείξων C. γ' interponit C². H. W.
(865 ὧδ' ἂν C.)
868 ἀναπτυχαί C. ἀμπτυχαί C².
870 φέρε C. φέρ' C².
872 νικηφόρον C' Γc. νικαφόρου C².
873 μὲν νυν C. δὴ super νυν ut saepe c. H.
878 τούσδ' (τοὺς δ' Γ perverse) ἀδίκως C qui se ipse correxit in ἀδίκους. H.
884 ἐς a 2 in ras.
891 ἀεί C. αἰεί C².
893 sqq. ὡσ δὲ τῷ σάφ' εἰδέναι τόδε προσθῶμεν Victorius ex codice, quod defendi posse mihi videtur. W. H.
(904 φιλόψυχος C.)
914 καὶ ὀρφανὴν C. κὠρ. C².
916 καὶ ἔγημας C. κἄγ'. C².
921 δάμαρτά του C. δάμαρτα τοῦ C² vel c. W.
924 schol. ad οἷ: παρ' αὐτῷ.
928 ὄντα ἀφ. C. ὄντ' ἀφ. C².

---

1) δορίς etiam alio loco a librariis pessumdatum est. Bacch. 1210 Agave irrisis eis qui instrumentis in venando utuntur ita gloriatur

ἡμεῖς δέ γ' αὐτῇ χειρὶ τόνδε θ' εἵλομεν
χωρίς τε θηρὸς ἄρθρα διεφορήσαμεν.

at θηρὸς post τόνδε languet, neque χωρὶς διαφορεῖν satis tutum est. quid flagitetur ut saepissime incorrupta mente perspexit Musgravius, at infelix ipse fuit. vidimus, quam misere hanc potissimum Baccharum partem habeamus corruptam. non dubito χωρίς τε δορίδος scribere.

vs. 942 ἀεὶ C. αἰεί C² Vict. de Victorii lectione hic et 891 erravit Kirchhoffius.

949 schol. αὐτὸ: τὸ ἀποκτ(είνειν. ultima corroso margine perierunt.

963 ὁρῶ C Vict. unde ὁρᾷς venerit, ignoro; at editores inde a Seidlero (antiquiores praesto non habeo) neglegentiae culpa ad unum omnes liberandi non sunt. quippe ὁρᾷς tamquam firmissimam codicis lectionem repetunt, quid quod Victorium id habere dicunt. Walbergius autem notata lectione ὁρῶ, ὁρᾷς in textu propagat, auctore coniecturae ne nominato quidem. atque pravam coniecturam esse clarum fiet luxatis versibus in ordinem restitutis, quod non ab omni parte successit Nauckio. is enim Orestam facit Clytaemnestrae advenientis nuntium, Electram utrum mater sit an Argivi Aegistho opitulantes dubiam. quod et per se parum placet, (matrem enim Orestes novisse nequit, debet Electra), et per ὁρῶ omnino refellitur. itaque codex 962—64 personas recte disponit. at 959—61 Electrae summo iure vindicavit Nauckius. consequitur ergo inter Electrae verba 961 et 962 Orestae aut unum aut paucos intercidisse versus. 965 et 966 vero non apte cohaerere idem Nauckius intellexit; 965 enim Orestae, qui 967 dubitat, num matrem occidat, esse nequit. quid multa? locum modo mutent illi versus, et omnia sana sunt. adscribam totum locum.

960 *ΗΛ.* εἶεν· κομίζειν τοῦδε σῶμ' εἴσω χρεὼν
σκότῳ τε δοῦναι, δμῶες, ὡς ὅταν μόλῃ
μήτηρ σφαγῆς πάροιθε μὴ εἰςίδῃ νεκρόν.
ΟΡ. — — — — — — —.
ΗΛ. ἐπίσχες, ἐμβαλῶμεν εἰς ἄλλον λόγον.
ΟΡ. τί δ'; ἐκ Μυκηνῶν μῶν βοηδρόμους ὁρῶ;
ΗΛ. οὔκ, ἀλλὰ τὴν τεκοῦσαν, ἥ μ' ἐγείνατο.
966 *ΟΡ.* καὶ μὴν ὄχοις γε καὶ στολῇ λαμπρύνεται.
965 *ΗΛ.* καλῶς ἄρ' ἄρκυν ἐς μέσην πορεύεται.
ΟΡ. τί δῆτα δρῶμεν μητέρ'; ἦ φονεύσομεν; κτέ.

nolo longus esse in commendanda hac distributione, cum intellegentem lectorem quam apta atque concinna sit latere vix possit. at 964 nisi poetam emendare vererer, scriberem ἥ σ' ἐγείνατο; certe emendaretur.

961 μὴ πρὸ τοῦ σφαγῆναι εἰσίδῃ τὸν τοῦ Αἰγίσθου νεκρόν. μεἰσίδῃ igitur idem est atque Barnesii μὴ εἰσίδῃ.

969 καὶ ἔτεκεν C. κἄτ. C².

975 schol. ad φεύξομαι: κατηγορηθήσομαι.

976 καὶ μήν γ' C. Vict. καὶ μή γ' recentissima manus. Reiskius. H. W.

977 μητρὸς C. Vict. H.

978 lineolam personae indicatricem add. C² ut vid.

980—1. desunt lineolae C. posuit Γ Vict. Γ etiam 981 οὐκ recte coniecit ut Kirchhoffius, οὐδ' C quod natum est omissa personae nota.

(983 ἀλλ' εἷς.)

984 καθεῖλεν (ες superscr.) C. perversum selegit Γ, rectum Vict. H. W.

985 deest lineola. add. Γ Vict.

vs. 986 δράσω· εἰ C. γ' inserit C².
987 καὶ ἡδύ τ' ἀγώνισμα C. χ' ἡδύ C². τἀγώνισμα Γ Vict.
988 ἰώ del. c. W. ceterum anapaestorum lex duplicari ἰώ iubet. cf. Suppl. 1114 et ibi Hermannum.
989 Τυνδαρείου C. τυνδαρέου c.
(999 τοῦδ' ὄχου C.)
1002 ἀπώλεσε C. W. H.
(1011 βουλεύεται C.)
(1016 μαθόντας C.) μαθόντα σῆν vitiose Γ.
1013 δόξ' ὅταν C² ex δόξα ὁ.
1020 Ἀχιλλεύς C. Ἀχιλλέως aut ipse aut C².
1028 προδότιν C. H. W. προδότην errore Vict.
1033 δύο C. δύω C².
1030 τοῖσδέ τοι νῦν C Vict. H. W.
1034 δώμασι C Vict. W.
1038 κἄπειτα ex καὶ ἔπειτα C². φίλον margo C, unde C² in textum intulit eraso C'. sequitur C²Γ.
1044 τἀμά C. τἄμ' C².
1071 ἐξήσκει C. H. W.
(1076 μόνη.)
1086 ἔκτεινε C. W.
1091 κοὔτ' C² ex καὶ οὔτ'.
(1093 ἀδελφοῦ C.)
1097 ἢ εὐγένειαν C. ἠὐγένειαν C².
1103 ἔστι C. ν add. c. W.
1105 συγγνώμαι C. per merum errorem συγγνώσομαι C².
1116 τί δ'. C. τί δαὶ C²Γ. W. scribendum est τί δ'; οὐ πόσιν σὸν ἄγριον εἰς ἡμᾶς ἔχεις; quo respondetur praecedenti versui, ita ab omni suspicione liberato. dixerat Clytaemnestra, *Orestam non revoco ex exilio, quia mea non illius commoda specto, nam ille propter patris mortem iratus esse dicitur.* (reconciliari nequit). cui respondet Electra: *quid? nonne etiam Aegisthus infesto adversus nos animo est?* (ut scilicet culpam irritae reconciliationis in eum potius cadat).
1120 μέγ' ex μέγα C².
1121—27 lineolas singulis versibus praefigit Γ eadem libidine quae 980. 1 prospere ei cessit.
1125 ὑπέρ μου C. H. W.
1130 ἀγείτον' οἶκ.. ἵδρυται φίλων C. οἶκον C²Γ. iure igitur correxit Victorius ἀγείτων οἶκος, quod etiam Walbergius intellexit.
1136 πρόσθετ' C ex πρόσθετε.
1149 ἀρχέτας C² ex ἀρχέτης.
(1152 φονεύσεις.)
1153 δεκέταισιν ἐν σποραῖσιν C. Vict. δεκέτεσιν σποραῖσιν C² multas post lituras.
post 1154 lacunam indicavit c. atque dubium esse nequit quin lacunis binorum versuum post 1154 et 1180 paginae magnitudo codicis cuiusdam (vix Φ) colligi potuerit, nisi canticum esset.

vs. 1155 παλλίρους δὲ τὰν ὑπάγε ται δι χάν C nullis rasuris. spatiis tamen nihil tribuerim.
1156 μέλεον C Seidler. μελέαν c. H. W.
1157 εἰς C Vict. Seidler. ἐς C².
1159 βέλει C². βέλ . . C. W.
1160 ἔκανεν C Victorius. κάν' c.
1162 ἔσχε C Vict. ν add. c. W.
τάλ.ν. C τάλαιναν C²Γ. τάλαιν' corrector Γ qui τάλαν voluerit.
1169 τοι δίκαν C. Vict. δίκαν τοι c. H. W.
1183 δάκρυτ' ἄγαν C. Vict. δάκρυά τ' ἄγαν c. H. W.
(1184 μρί quod nihil nisi μητρὶ est.)
1185 τύχας σᾶς C. Vict. τᾶς inserit c. H. W. τεκοῦς' in rasura C².
1186 μελέα (errat Heysius) καὶ πέρα C. Seidler. γε. add. c.
1190 ἰὼ C. Vict. ὦ c.
1191 ἐξέπραξας cum C² paullo oblevisset discriptionis causa, Γ errando scripsit ἐξεπράξω.
1193 ἀπὸ γᾶς . . . Ἑλλανίδος C = ἀπὸ γᾶς τᾶς Ἑλλανίδος Γ Vict. τᾶς neque Heysius neque ego dispicere potuimus; Victorius potuit: nam codice Γ non usus est. H.
1194 τίς ξένος C. Vict. δὲ inserit C. H. W.
1199 τίνα γάμον C. Vict. εἰς inserit C. H. W.
με add. C².
1204 φρονοῦσα C. Vict. φρονοῦσα γ' εἰ ΗΛ. c. H. W.
1208 ἰώ μοι C. Seidler. ἰώ μοί μοι C². H. W.
1209 γόνιμα μέλεα· τὰν κόμαν δ' ἐγώ schol. εἶδον. H. vide ad qualia Byzantinum cerebellum deveniat.
1214 γέννν C. Vict. γ' add. c. H. W.
1215 χαῖρας C. χέρας C². H.
1216 παρηίδων γ' ἐξ ἐμᾶν C. τε γ' c. παρηίδων τ' ἐξ ἐ. Vict. Γ. H. W.
1222 κατηρξάμαν C² ex — άμην.
1224 δ' ἐπεκέλευσα C. Vict. δέ γ' ἐπ. c. H. W.
1226 δεινότατον C. Vict. ὦ add. c. H. W.
1227 ματέρος C² ex ματρός.
1229 ἄρα C. Vict. ἆρα c. W.
1230 καὶ οὐ C. κοὐ C². W.
1231 φάρεά γ' C. Vict. φάρεα δέ γ'. c. H. W.
1232 μεγάλων C. Vict. τε add. c. H. W.
1240 Κάστορ C. ut Vict. Γ. H.
(1242 εἴδομεν C.)
1257 γοργῶπ' ex γορῶπα C². W.
1267 ταυτὸν C. H.
1280 θάψη C. W.
1285 Ἀχαΐδος C.
1292 *ΟΡ.* C. H.
1295 *ΗΛ.* C. ut Victorius errore statim correcto Γ.
1298 — C quod significaret, nisi omnia turbata essent, Electram. om. Γ cuius corrector ἠλ. posuit.
1303 personae nota deest C. — Γ. H.

vs. 1304 μητρί C. H. W.
1305 — C. om. Γ. ut Victorius coniecit corr. Γ.
1312 πέπονθε C. Vict. W.
1327 ΗΛ. C.
1331 ΟΡ. in spatio vacuo fortasse a c demum. H.
1332 ΗΛ. item.
hinc lineolis utitur C usque ad 1339. 1340 om. habet Γ. 1341 ΔΙ. a c ut videtur in spatio vacuo.
1348 νεῶν C² ex ναῶν potius quam νηῶν quoniam ita Victorius legit. H. W.
1351 οἴσι C' ν add. c. W. H.
(1359 πράσσειν C.)
subscriptio τέλος τῆς Εὐριπίδου Ἠλέκτρας.

Professus est Victorius in codice suo *personas praecipue fuisse perturbatas*, quod quatenus verum sit nunc demum satis patet. supersunt tamen nonnulla quae criticorum aciem fugerint, cum alia paullo difficiliora, tum haec quae corollarii loco ingentem pravarum lectionum molem excipiant. in ipsis ultimis anapaestis vs. 1314 Orestes a Castoribus Electram, cui nihil mali immineat, nisi ut Argis careat, plangere vetitus haec loqui fertur

καὶ τίνες ἄλλαι στοναχαὶ μείζους
ἢ γῆς πατρίας ὅρον ἐκλείπειν;
ἀλλ' ἐγὼ οἴκων ἔξειμι πατρὸς
καὶ ἐπ' ἀλλοτρίαις ψήφοισι φόνον
μητρὸς ὑφέξω.

Orestam postquam sororis mala deploraverit sua maiora dicere monet Weilius. at inepte facit qui postquam interrogavit, *quid exilio peius*, respondet, *ego tamen miserior et exul et paricidii reus.* Euripides Castoribus obloqui voluit Electram, „*vos mala mea parvi penditis? quid flebilius quam patria carere?*“ Orestam Electrae „*at ego miserior, qui exul in iudicium vocor.*“

Clytaemnestra longam declamationem qua caedem Agamemnonis defendit ita concludit, ut Electram hortetur, doceat modo patrem non iure esse caesum. respondere illa fertur

1051 *δίκαι' ἔλεξας, ἡ δίκη δ' αἰσχρῶς ἔχει,*
γυναῖκα γὰρ χρὴ πάντα συγχωρεῖν πόσει,
ἥτις φρενήρης· ᾗ δὲ μὴ δοκεῖ τάδε,
οὐδ' εἰς ἀριθμὸν τῶν ἐμῶν ἥκει λόγων.
μέμνησο, μῆτερ, οὓς ἔλεξας ὑστάτους
λόγους, διδοῦσα πρὸς σέ μοι παρρησίαν.

Ab Electra iusta protulisse Clytaemnestram dici non posse intellexerunt, correxerunt igitur, varium at inprobabilem in modum.

1054 et 55 cohaerere non docuerunt. Electram concedere non posse, a Clytaemnestra quidquam condonandum fuisse Agamemnoni (tacet consulto de Chryseide) vidissent, si mores quales descripsit eius Euripides respexissent. *ces vers ont été mal divisés, puis mal corrigés* dicit Weilius inprobabilia molitus, vere, at alio quam voluit sensu. 1051—54, chori sunt. 1055—6. Electrae. addere poterat versus cum bene divisi essent deinde pessime correctos esse, nam video hic Camperum ante me verum iam restituisse. at omnino Camperi hebetioris sane et loquacis hominis, tamen et diligentis et veri studio praediti commentarius indigno fastu spernitur. ridiculum versum 308 Camperus obelo trafixit. recoquunt emendationem alter alterius ignari Herwerdenus Czwalina Dindorfius. sed quid omnino hoc in genere fieri possit, lepidius docet exemplum Hercul. 460 quam quod silentio premere possim. traditum ibi

ἦ πολύ με δόξης ἐξέπαισαν ἐλπίδες
ἣν πατρὸς ὑμῶν ἐκ λόγων ποτ' ἤλπισα

inprobabili modo haec defendebantur, inprobabiliore corrigebantur: invaluit Hermanni explicatio haec ad idem redire arbitrati ac si dixisset Euripides *spes mea frustrata est opinionem meam*. quamquam recte hoc refutaverat Hartungus, Hauptius ei patronus extitit indice lectionum Berolinensium 1864. qui cum hac in re erraret, reiecit tamen rectissime Nauckii opinionem αἱ τύχαι in locum vocis ἐλπίδες dubitanter reponentis et δόξην ἐλπίζειν neminem dicere posse iure adseveravit. coniecit igitur in altero versu ἅς. at neque hoc probari potest (gravi enim prioris versus coruptelae non medetur) neque coniectura amplius opus erat. biennio ante H. Hirzelius sagaciter verum reppererat (de diverb. 24)

ἦ πόλυ γε δόξης ἐξέπεσον εὐελπίδος

quo omnia plana fieri sponte intellegitur. paullo post in editione minore eandem emendationem ignorato Hirzelio protulit Kirchhoffius, quo auctore Dindorfius eam recepit, etsi alibi Hirzelii mentionem inicit. Nauckius denique in editione tertia abiecta ipsius opinione Hirzelii meminit, etsi locum intactum relinquit. crederes rem absolutam. existit Usenerus — Nauckianum nunc vel auctori spretum αἱ τύχαι recoquit. profecto qui in Euripidis emendatione satis esse opinatus est verum semel inveniri, falsum semel refelli — ἦ πολύ γε δόξης ἐξέπεσεν εὐελπίδος.

ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΙΚΕΤΙΔΕΣ.

Praefatio.

In una certe tragoedia praestare volui quod in omnibus quas quidem codici Φ debeamus praestandum esse scio, at ne ipse praestare coner recta virium aestimatione prohibeor. sequitur igitur Supplicum fabulae recensio ad eas leges quas superiore libro sequendas docui quam potui sollertissime exacta. videbatur enim haec potissimum fabula cum propter apographorum errores tum propter singularem quandam quam in ea codex Φ ipse prae se fert speciem, denique propterea quod haud exiguus versuum numerus apud alios quoque scriptores servatus est, ut de fide codicis Φ iudicium ferri possit, in primis idonea, in qua et quantum utilitatis inventis meis inesset et quatenus ipse eis uti scirem demonstraretur. subscriptum igitur invenis poetae verbis quidquid codex Φ continuit a quacumque manu in eum inlatum est, manibus quatenus fieri poterat distinctis. ac poteram aliquotiens a generali signo φ discernere lectiones in margine positas; quas paullo pluris aestimo quam magnum illum correctionum numerum, quippe inter quas nulla videatur esse quin a Byzantino magistro profecta esse possit; quamquam plus viginti versus φ correxit. quidquid vero apographorum correctores posuerunt, quoniam de origine dubitatio nulla iam oriri potest, constanter abieci, nisi forte verum aut divinando aut ex alio fonte (Palatinus enim interpolator Stobaeo usus est) restituerunt, quod in Supplicibus vix usquam Laurentiano plus viciens Palatino contigit. ubi apographa etiam post novam conlationem dissentiunt, tam planus plerumque alterius error est, ut tacere praestiterit: nihil enim magis opto, quam ut variarum lectionum piscatores graviter mihi irascantur, prudentes quisquiliarum contemptores silentium in me laudent. aliquotiens tamen aut apographorum aut conlatorum errorem singularem verbo tetigi: abicient haec qui post me Supplices recognoscent. metricam discriptionem nisi contrarium nota-

tur ex archetypo sumi scias; congruit autem ordo fere cum vulgata, quoniam immanem sordem quam ex Pindaro Boeckhius expulit in tragicis patienter toleramus. orthographica notavi tantum ea, in quibus aut quomodo Euripides aut quomodo librarii scripsissent dubium esse poterat. novavi autem non plura quam quae tironem decere viderentur; *αἰεί* producta priore syllaba *κλαίω οἰκτίρω* augmenta temporalia in diphthongis *ευ* et *αυ* satis munita videbantur inscriptionibus Atticis. *ἐς* quoniam Euripides ipse ibi quoque scripsit ubi *εἰς* pronuntiavit non mutandum esse censeo nisi ubi numeris flagitatur productum. in *ξ* et *σ* vero quoniam certa norma deest codicem secutus sum. in aliis cohibito iuvenili ardore consuetudinem malui quam rationem sequi: reliqui *οὕνεκα* ubi praepositionis vice fungitur, reliqui elisiones qualis est v. 456 *πρὸς τά σ' ἐξηκόντισα*, quamvis invitus.

E m e n d a t i o huius libri finis non est. quod si praestare voluissem, profecto non essem ausus tragoediam proponere cuius paene triginta versibus triste crucis signum adpinxissem; etsi enim certam emendationem permulta non admittunt, probabilitate tenus plerumque progredi licet. tamen indignissimus essem qui Euripidi etiam recensendo manus admoverem, nisi quam emendatissimam etiam propriis coniecturis Supplices exhibere studuissem. iuvabar autem observatione in recensendi emendandique confinio posita. sua cuique libello fata esse vel pueri clamant, huius verba emblematis illius lacunis scatent. quae fata explorasse ante quam ad emendationem pergas non minoris refert quam codicum genuina lectio. quod etiam apud alios scriptores dudum intellectum est diversissimo modo corruptos esse libros eadem via nobis traditos (reminiscere modo carminum sermonumque Horatii aut in Mercurium et in Venerem hymnorum Homeri) apud scaenicos Graecos longe manifestius est et ad emendationem longe maioris momenti. Choephori ab Eumenidibus Trachiniae ab Oedipo Coloneo Aves ab Equitibus mirum quantum differunt. atque in Euripide Alcestidem omnium tragoediarum longe integerrimam sequitur Andromacha et corruptelis et interpolationibus pessum data; in Hercule vitia numerosa, at leni plerumque medella restituuntur, in proxima Electra prae interpolationis metu vix audes pedem proferre. Supplices vero aliquando descripta est ex codice in quo litterae vocabula versus evanuerant. emendanda igitur est quoad fieri potest supplendo. at non ubique lacunae sedulo pro-

corrasa, quam facile esset ostentare, at ut pueris tantum imponeres, gravibus viris insulsus aut contemnendus videreris, uti se noluisse edixit. quod utrum per divinationem fecerit, an quia hominum mores et ingenia probe aestimet, ambigo. anno post Gustavus Hirschfeld eandem inscriptionem arte xylographica expressam commentario instructam ephemeridi archaeologicae Berolinensi inseruit. cui ut parcam silentio quidquid scripsit praeteribo. mihi praeter Cumanudis utilissimum meumque tituli apographon praesto est adcuratissimum quod a Luedersii mei amicitia inpetravi, in quo vel singularum litterarum formae exhibitae sunt: recensio igitur facillima et certa; quae in emendatione profeci, pleraque primo adspectu repperi; pauca quidem, si ad totam inscriptionem respicis. reliqua is enodabit, qui in aliis litterarum generibus studia sua posuerit. quantum ad locum et tempus inventionis, ad magnitudinem lapidis etc. adtinet, lectores ad Cumanudem, quem conpilare nolo, relego. sat erit ad intellegendam recensionem scivisse, quadratae ut videtur stelae, incertae tamen et altitudinis et latitudinis, unum superesse angulum, ut alterius columnae principia, alterius fines perierint.



Exhibui exemplum Luedersianum, prae quo cetera sordent; a quo his paucis in rebus discedendum existimavi. a 2. litteram primam Lueders, sic Cumanudes et ego. 25 *ΜΕΞ* Lueders. *ΜΕΣ* Cumanudes, sic ego, recte quoniam *Ἀλέξ[ανδρος]* est. b. 20 hastam ultimam ex Cumanudis fide addidi, nam suo loco stat; reliqua quae Cumanudes solus praebet, a 1. *ΕΦ* (omisso *Κ* quod ego quoque legi) 27 *ΕΙΛΠΙΣ* parum certa sunt. b 26. *ΕΠΣ* Luedersius et ego, *ΕΠΙΣ* Cumanudes, quod *ΕΠΕ* esse nemo non videt. ceterum neglegenter lapicida fecit, ut obscura per temporum iniquitatem mendis nec levibus nec raris facta sint obscuriora. de columna priore silendum mihi est; in altera plura sapimus, quoniam certis supplementis additis 9, 10, 12, 13 sqq. singulos versus duodeviginti ad viginti duas litteras conplexos esse constat. itaque hunc fere in modum haec columna emendate scribenda est.

. . .
. . .
μνη
αφοπλ
5 [?] *Κράτητ[ος*
πνιάστρια [. . . . . Δη
μοσθένου κα[τὰ
τ]ῶν Ἑλλανίκου[ά . . Διφί
λου Σφαττόμενο[ς Αἰρησι
10 *τείχης Τήθη Ἀπ[οβάτης Ἑ*
κάτη Στρατιώτ[ης
πευταὶ Συνωρ[ὶς Φιλάδελ
φος Τελεσία[ς. Εὐριπίδου
Σκύριοι Σθενέβ[οια Σκίρων
15 *σά]τυρο[ι] Σίσυ[φος Συλεύς*
Θυέστης Θησε[ύς Δίκτυς
Δανάη Πολύι[δος Πελιά
δες· Ἀλαί· Πλ[εισθένης Πα
λαμήδης Π
20 *Πηλεύς Πε[ιρίθους Πρω*
τεσίλαος
Φιλοκτήτη[ς Φαέθων Φοῖ
νιξ Φρῖξος Φ[οίνισσαι.
. . . . . . Ἄφιδν[αι· Ἀρχέλα

25 ος Ἀλκ] μήνη Ἀλέ[ξανδρος
Ἀλόπη] Εὐρυσθύς [Ἑκάβη
Ἐρεχθεύς] Ἐπε[ιός Ἑλένη

5. Υ quae prima littera est, sana esse nequit, quoniam et *Κράτη*τ(ος certum est et versus ab integra syllaba incipiunt.

6. nomen fabulae ignoro, *Λειπνιάστρια* conicit Cumanudes, at hoc testimonio reperto fortasse Suidam non incusabimus erroris alias saepe ab eo commissi, qui duos distinguit comicos Cratetas. nisi etiam haec . . . *πνιάστρια* ut tot aliae supposita erat Cratini aequali.

7. *Φιλίππου δ'* vel tale quid interiit.

8. τ[*ῶν* certum videtur, et vestigia litterae post *Ἑλλανίκου* proximae ad *Α* ducunt. Hellanici libros numeris distinctos esse novum videtur. non integrum autem opus sed pauci tantum libri in bibliotheca cuius catalogum legimus fuisse videntur, quoniam hoc modo libri significati sunt. desunt praeterea numeri duo.

9 sqq. Diphili fabulae nullo, ut videtur, ordine se excipiunt. notae erant *Αἱρησιτείχης Ἀπ(οβάτης* aut *Ἄπ(ληστος Ἑκάτη Συνωρίς Τελεσίας* quod quadratarius per dittographiam *τελεσιαιας* scripsit. *Φιλάδελφος* ab Antiatticista Bekkeri semel ita semel plurali numero adlegatus erat; praetulerat Meinekius pluralem, nunc singularis praeferendus est. memorabilia etiam quod praeter *Αἱρησιτείχην* etiam *Στρατιώτης* invenitur, *διασκευὴ τοῦ Αἱρησιτείχους* teste Athenaeo 496 f. binae igitur fabulae circum ferebantur; quod nesciebat auctor, quem paucis versibus ante conpilavit Athenaeus, eodem enim fragmento I, quod Militis esse modo diserte traditum audivimus, Diphilum *ἐν Αἱρησιτείχει* laudat, *τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο Καλλίμαχος Εὐνοῦχον ἐπιγράφει.* at Callimachus non primam sed secundam editionem ita vocavit, nam ab adcuratiore illo grammatico *Δίφιλος ἐν Εὐνούχῳ ἢ Στρατιώτῃ* testis advocatus est. quae cum ita sint, Urbicapi ne unus quidem versiculus superesse videtur. nova denique comoediarum nomina *Σφαττόμενος Τήθη . . . . . . πενταί* quod frustra restituere studui. *Σφαττόμενος* vero non plane incognitus fortasse. nam Athenaeus XV 699, (scripta haec in corrosissimis Marciani paginis, ut maximam partem legi nequeant) post Alexidis locum ex *Κηρυττομένῳ* sumptum habere dicitur *ἐνμηδης δ'ἐν σφαττομένῳ . . προειπὼν ἡγουμένην* et alia lacera. (cf. Schoell. Herm. IV. 167) at Diphili nomen dubiis litteris obtrudere temerarium esset.

Tandem ad Euripidem venimus, ut nunc res se habet, longe gravissimam inscriptionis partem. emendatio facillima fuit, siquidem tragoediae ad certam rationem dispositae sunt, modo et numerus et nomina fabularum ei, qui emendare vellet, cognitus esset. proximum caput docebit, vel sine huius tituli ope illud ad liquidum perduci potuisse. quod quoniam conpertum habui, experimentum duplex faciendum vidi; suppletis enim supplendis congruere debebat in titulo versuum numerus, suppleto versuum numero congruere debebat fabularum quem dudum confeceram catalogus; sin minus, aut hic aut illic errores latebant. at non congruunt tantum: firmantur dubia, clarescunt obscura; quodsi sublatis difficultatibus, quibus genera virorum doctorum vexabantur, novae emergunt, quibus hodie inpares sumus: veniet suo tempore etiam istis tenebris sperata lux: quippe artem brevem vitam aeternam iure vir in arte praestantissimus dixit.

Quae ad catalogum pertinent, infra coniunctim tractabuntur. hic primum ipsam emendationem explicabo, deinde ad ea, quae huius capitis sunt, ad ordinis rationem redeam.

13 paullo maior solito litterarum numerus 16 paullo minor videri potest; at imago lapidis supra exhibita dubitationes tollet; quadratarius illic artius hic latius disposuit litteras.

15. *σάτυροι* quod ex monstro tradito restitui post ea quae I. 8 monui neminem morabitur. satis habuit quadratarius uni ex tribus satyricis fabulis notam addere. utrum eandem vs. 19 fabulae satyricae ignotae (nam eius *Π* superesse infra videbimus) et vs. 26 Eurystheo addiderit necne, nescimus. cum vero nomen undecim fere litterarum non ita frequens sit, probabilius videri potest, additam fuisse notam vs. 19. ego quadratariam sibi constitisse non credo, et vs. 26 nota male convenit. 18. *Ἁλαί* 24. *Ἄφιδναι* aperte pagorum nomina primo obtutu paene incredibilia videntur. at quandoquidem per multas causas opinio commendatur, qua titulo libros recenseri aut dono datos aut depositos putemus, (nam profecto bibliothecarum catalogi in lapide non caedebantur) adcuratiora autem nescire cogimur, eo adquiescendum est, interponi donatorum — exempli causa hoc pono, — nomina, donorum recensui. sane praeter haec exempla nulla habeo, at hanc tantum inscriptionis partem intellego. id vero certum videtur singulos tomos Peliadibus et incerti nominis illa quae ante Aphidnas intercidit tragoedia finiri.

19. de hoc versu supplendo vide catalogi fabularum numerum 72.

21. Protesilao explicit littera *Π* Philocteta incipit *Φ*; fundamentum igitur emendationis deest. spatium expleret v. c. Licymnius.

23. hic quoque dubium, utrum post *Φ* statim *Α* secuta sit, et iterum tomus in medio litterae tenore finitus sit, an alius litterae fabula. at ex *Α* sine violentia nullam in versus dispones fabulam, itaque aegre me continui quominus *Ὑψιπύλη* in ipsum textum reciperem.

24. *Ἀρ* | *χέλαος* optime spatio convenit, possis etiam aeque commode *Ἀν* | *τιγόνη*; alia paullo minus apta.

26. *Ἀλόπη* certum videtur, nam sex litteras spatium non capit, neque *Ἑκάβη* placet, ne ex *Α* parum fabularum sumptum sit.

26 sq. ordinem certum puto, quamvis multis suppletis; nam modo teneas *ΕΠΕ* litteras uni convenire Epeo, Helenam vero huius litterae ultimam fuisse fabulam, quod ex codice Laurentiano sequitur qui eam solam servavit, ultro ad hanc dispositionem deduceris, cui quod spatium egregie expletur, mihi ipsi totam discriptionem quam maxime persuasit.

Qualem igitur disponendi rationem in titulo animadvertimus? dispositae sunt fabulae ita, ut coniungerentur quidem quarum nomina ab eadem littera inciperent, litterae vero nequaquam ex vulgari ordine se exciperent, et intra litterae ambitum nullo certo ordine neque ex proxime primam sequentibus litteris neque ex tempore, quo doctae essent (sequitur Polyidum Peliades) neque segregatis satyricis tragoediae ponerentur. tamen sollemnis hic ordo fuit, quoniam litterae *Π* prima fabula cum *ΘΔ* coniuncta in uno volumine, in altero ceterae eiusdem litterae fabulae positae sunt. at ex tot litterae *Α* fabulis quatuor tantum inveniuntur vel quinque. hinc quam maxime causa singularis ordinis perspicitur. qui in nescio quem voluminum numerum opera omnia Euripidis disposuerunt, et aequalia volumina facere et per litteras initiales coniuncta quoad fieri poterat coniunctim ponere volebant. itaque ordinem vulgarem litterarum deseruerunt. ponamus octonarium numerum. convenit littera *Π*, convenit *Ι*, at *Φ* quinque tantum conplectitur, adduntur ignotae (duae) et *Υ* (una); quinque *Ε* habet, cum tribus litterae *Η* coniungitur. quinque *Σ*, at, quo-

niam tres ut satyricae multo breviores sunt, binae *Δ* et *Θ* iustum volumen explent. talis igitur ordo ubi multo usu et magno editoris nomine sacratus est, tum quoque conservatur, cum aliter digestis voluminibus causa dispositionis sublata est. quid quod ea tenus consuetudini se insinuat, ut contra rationem adhibeatur; veluti hic Polyidus et Peliades a ceteris eiusdem litterae seiunctae sunt, et litterae *Α* paucae tantum fabulae eo volumine, quod Aphidnaei donabant, continebantur. non nisi exempli causa haec omnia dixi, ne contra naturam vel rationem peccare viderer — summa rei in eo vertitur quod idem ordo in lapide saeculi fere primi p. Chr. n. et in codice saec. XIV invenitur. nam quid planius, quam in ordine supra ex Laurentiano adlato eandem rationem adgnoscere? *Ἑλένη Ἠλέκτρα Ἡρακλῆς* [*Κύκλωψ*, hanc iam sustulimus] *Ἡρακλεῖδαι Ἴων Ἱκέτιδες Ἰφιγένειαι*, ultima fabula litterae *E*, littera *H* integra et litterae *I* pars dimidia sunt. et non similem tantum sed prorsus eundem ordinem esse inde certissimum fit, quod *Θ* hic deest inter *H* et *I*, illic inter *Σ* et *Δ* adparet. et Bacchas non huc pertinere iam non est quod exponam; sed diutius in hisce explicandis commorari lectorum ingeniis diffidere esset.

Teneo igitur tamquam certum et exploratum, singulari illo modo *κατὰ στοιχεῖον* dispositas iam multo ante Christum natum (tum enim ordinis causa non amplius extitit) in manibus populi fuisse Euripidis tragoedias; ex hac sylloga unum volumen continens tragoedias modo enumeratas ingens illud, quod vocari solet, litterarum naufragium effugisse, unus ex maioribus codicis *Φ*, quem nostrorum patrem esse superiore libro demonstravi. remittimur ita ad Alexandrinorum grammaticorum aetatem, si tempus, quo tragoediae illo ordine digestae sint, quaerimus. quodsi reminiscimur singularis illius dispositionis, secundum quam teste Aristophane Byzantio Alcestis decimo septimo inter Euripideas loco, Antigona inter Sophocleas tricesimo altero legebatur, obvia coniectura est, hunc ordinem ab eo indicari, sed ad liquidum perduci nequit. id tantum ex titulo Piraeico sequitur, eundem etiam in Sophoclis fabulis regnasse ordinem, nam *Ἠλ]έκτρα Ἡρα[κλῆς* a 23, *Ἀλέξ[ανδρος . . . . Αἰθ]ίοπες Ἀ* a 25 sq. certa sunt.

2.

In numero tragoediarum Euripidearum nominibusque definiendis Valckenarius Welckerus Hartungius Dindorfius Nauckius laudabilem sane operam posuerunt. at aut negarunt verum inveniri posse, aut per violentas et veri dissimiles coniecturas suam quisque opinionem sustentarunt. veritas autem in consensu posita est. itaque ratione quidem eorum, quae ab illis viris de Euripide meritissimis recte observata sunt, habita ab integro quaestio repetenda erat: consensus autem non cum coniecturis recentium sed cum documentis ipsis et testimoniis veterum grammaticorum quaerendus.

Atque testimonia de numero tragoediarum habemus quinque

1. Vita cod. Pal. 90. (Dind. Schol. I p. 11.)
   τὰ πάντα δ' ἦν αὐτῷ δράματα ϟη' (imo ϟβ' vix mutata scritura. intellexere alii.) *σώζεται δ' αὐτοῦ δράματα ξζ', καὶ γ' πρὸς τούτοις τὰ ἀντιλεγόμενα· σατυρικὰ δὲ η', ἀντιλέγεται δὲ καὶ τούτων τὸ α'. νίκας δὲ ἔσχε ε'.*
2. Vita maior. (Dindf. Schol. I p. 4) *τὰ πάντα δ' ἦν αὐτῷ δράματα ϟβ' σώζεται δὲ οη'. τούτων νοθεύεται τρία Τέννης Ῥαδάμανθυς Πειρίθους.*
3. Vita Moschopuli et Suidae. (Dind. I. 14.)
   δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας οε' κατὰ δὲ ἄλλους ϟβ'. σώζονται δὲ οζ'. νίκας δὲ εἵλετο πέντε κ. τ. ἑ.
4. Vita Thomae. (Dind. I. 12.)
   ἔγραψε μὲν οὖν δράματα ϟβ' τὰ πάντα, ἐν οἷς ἦν η' μόνα σατυρικά. νενίκηκε δ' ἐν πᾶσι τούτοις τοῖς δράμασι νίκας ε'.
5. Varro apud Gellium XVII 4. 3 Euripidem ait quinque et septuaginta tragoediis scriptis quinquiens vicisse.

Risum continere vix possum, ubi his testimoniis diversa tradi audio: nam re vera unum tantum testimonium est, quod cum ab Alexandrinis grammaticis profectum in vita Euripidis fabulis praemissa legeretur, inde a Varrone et mutilatum et prave intellectum est, at exactis singulis documentis restitui potest. scilicet tradidit vitae scriptor, scripsisse Euripidem fabulas nonaginta duas, servatas esse tragoedias genuinas sexaginta septem, spurias tres, satyricas genuinas septem, spuriam unam. atque ita sub 1 legimus, qui nomina tantum spuriarum fabularum omisit: 2 nomina

spuriarum tragoediarum praebet, spuriam satyricam ignorat; ceterum fabulis scriptis bene opponit servatas, at non per singula nomina digestas sed ex conputo iusto septuaginta octo dictas. Moschopulus et Suidas discrimen inter scriptas et servatas non ceperunt, itaque dissensum grammaticorum tradi credebant, quorum hi nonaginta duas illi septuaginta quinque scriptas dicerent, qui numerus re vera genuinas fabulas conplectitur, spuriae satyricae, quade non ita constans fuisse iudicium etiam ex 1 intellegitur, ratione non habita. quod vero iam pergunt *σώζονται δὲ οζ'* ea animi perversitate fecerunt, quae Byzantinis divinitus insita est: plures enim fabulas servatas quam scriptas dicunt. *οζ'* etsi quodam modo ex neglecta satyrica explicari possit, non dubito ex *οη'* corruptum dicere. Thomas postquam scriptarum numerum recte posuit, omissis intericiendis satyricarum numerum, quem tamquam iusto minorem mirabatur, adscripsit. Varro denique leviter inspecta eadem qua nos utimur vita ad eundem computum devenit, quem sub 2 vidimus, nisi forte eundem iam in exemplo suo repperit.

Nihil igitur certius, nihil magis consentientibus testibus traditum quam ab Alexandrinis in catalogos relatas esse Euripidis

tragoedias genuinas	67
tragoedias spurias	3
satyricas genuinas	7
satyricam spuriam	1
	78

scriptas autem nonaginta duas eidem perhibuerunt; i. e. tetralogias viginti tres, ut Elmsleius rectissime dixit, quas in didascaliis invenerant enumeratas. at hac in re parum cauti fuerunt grammatici, obliti scilicet, etiam per alios ab Euripide fabulas doctas esse, velut Andromacham, quod in commentario ad illam fabulam ipsi monuerunt, aut Archelaum Pellae demum scriptam.

Ut omnino fieri nequit, ut quidquam de eis tragoediis sciamus, quae ante Alexandrinos perierunt, ita nomina earum quaerenda non sunt. novimus Rhesum ab Euripide adulescentulo doctam esse, et ex perditarum satyricarum multitudine *Θεριστάς* cum Medea doctam didascalia praebet, alteram infra addemus: at talia minoris pretii sunt. ut enim concedam, fieri posse, ut ipsa Euripidis aetate fabula mox oblitterata multum valuerit, (et non unius versiculi comici meminerunt quem grammatici postea

frustra quaesiverunt):[1] iam Platonis et Praxitelis aetate ex populi memoria prorsus evanuisse easdem persuasum habeo. quod quorsum faciat, exemplo clarescet. fabulae cuiuspiam singularis conformatio si in vasculo Atheniensi saeculi quinti picta invenitur ad Euripidis tragoediam satyricamve recedere potest: factum id esse, evinci numquam potest. sin vero apud statuarium saec. quarti, apud epigrammatis poetam, sin in pictura Pompeiana urnave Etrusca, apud mythographum scholiastamve tale quid observatur, Euripidis perdita tunc fabula in censum non venit. at in instauranda earum fabularum, quae nobis demum ereptae sunt, memoria praecipue quidem id quaerimus, ut artis Euripideae clarior et integrior nobis ante oculos ponatur imago: verum enim vero universae litterarum et artis historiae consulimus: hinc enim non modo quomodo Euripides senserit, quid Euripidi placuerit cognoscitur, sed simul quid universo Graecorum populo carissimum inter fabulas poesi sacratas fuerit, unde figurae illae provenerint, quae tamquam summae pulcritudinis simulacra puerilibus animis infixae per octo saecula cultissimo populo in deliciis fuerunt. namque artis figuratae monumenta non clamant, quonam ex capite divinae cogitationes et intuitiones provenerint, quas ad suae artis leges excultas et transformatas exhibent; Romanus poeta unde aut fabula exornanda aut ornamenta fabulae manarint aut nescit aut dissimulat: mythographi et conpendiorum conlectaneorumque scriptores in fontibus indicandis neglegentissimi sunt: quam lacera vero et disiecta et epicorum et lyricorum et quam maxime Alexandrinorum poetarum ad nos pervenerit notitia facilius est lugere quam recte pensitare. quodsi memoriam eorum quoque, quodsi iudicii et voluptatis ex poesi captae vicissitudes, narrationum poeticarum, quas suo nomine mythos vocare debemus, formas modo has modo illas vulgi auribus gratas perspicere, tandem genium populi Graeci hac quoque ex parte recte cognoscere volumus: quodsi, inquam, opus a Welckero, incom-

1) Velut notissimum illud *βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα*, alia, quae ad fabulosas priores vel posteriores editiones cum aliarum tragoediarum tum Telephi a grammaticis divinantibus relata sunt. huc revocandi videntur versus Ar. Ran. 1309—13, secundum scholiastam ex Iphigenia Aulidensi tunc nondum scripta. nam qui Berglerum secuti ad Iph. Taur. 1089 haec rettulerunt, non reputarunt hanc cantilenam non ad exemplum Euripidis ab Aristophane confingi, sed ex pannis carminum Euripideorum consui.

parabili viro, incohatum, a paucis, inter quos Odofredus Müllerus et Otto Jahnius eminent, continuatum excolere volumus, via ac ratione cogimur, ut ab ea parte ordiamur, qua ad minime incertum finem perveniri posse maxima probabilitas est. atqui hanc partem tragoediam Atticam inprimis Euripideam esse inter intellegentes constat. et praeivit firmo pede Otto Jahnius, cuius de Telepho Syleo Antiopa disputationes nominasse satis est. omni vero quae non ex singulis tantum hanc quaestionem tractet disputationi firmum fundamentum deest, nisi catalogus fabularum Euripidearum, quae quidem non statim postquam doctae essent interierint, restituitur, aut si id fieri non posset, terminus inter ea quae sciri quae nesciri deberemus, (nam debent omnia nesciri quae sciri nequeunt) figeretur. at potuit catalogus restitui; quem ita disposui, ut cruce praeposita fabulam in marmore Albano[2]) nominari, asterisco fabulam in marmore Piraeico extare, asterisco uncinis saepto ibidem procul dubio extitisse significarem. numerus nostras ubi adpositus est, quo loco tetralogiae fabula posita fuerit, numerus graecus quale praemium reportaverit indicat. ultimo loco tempus indicatur. ordinem denique diu cunctatus aptissimum eum iudicavi, ut fabulas hodie extantes sequerentur ex temporibus didascaliarum, quatenus cognitae essent, dispositae tragoediae, postremo loco quarum tempus incognitum esset ponerentur. subscripsi testimonia gravissima, unde et tempora definirentur et sicubi fieri posset, argumentum certo constaret. uti autem hoc catalogo non potes nisi simul adhibita diligentissima fragmentorum collectione, quam Nauckius Lipsiae 1854 edidit. editionem minorem praeclaro auctore indignam consulto neglexi.

ΚΑΤΑΛΟΓΟΣ ΤΩΝ ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΔΡΑΜΑΤΩΝ.

Τραγῳδίαι γνήσιαι.

1 † *ΑΛΚΗΣΤΙΣ.* 4. β' 438.

Aristophanes Byzantius in argumento.

2) Oportet a perito denuo diligenter inquiratur, num revera integrum marmor Albanum non plura insculpta habuerit nomina, quam quae hodie adpareant. quod si forte aliter se habet, multa suppleri possunt. contulissem ego cum ectypo, quod e re fuisset, sed Berolini vivo, ubi ectypa Carolus Bötticher peni pinxit bubulo. itaque vix adgnoscuntur litterarum vestigia.

2 † *ΑΝΔΡΟΜΑΧΗ.* docta per Democratem.

Schol. Andr. 445 (Dind. IV. 165, 10) *εἰλικρινῶς τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν· οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησιν. ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην ..... φαίνεται δὲ γεγραμμένον τὸ δρᾶμα ἐν ἀρχῇ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου.* tempus rectius quam plerique recentiorum definivit vetus grammaticus; nam numeri fabulam annis 430—24 adtribuunt, neque historia obstat.

3 † *ἀλκμέων (ὁ διὰ Ψωφῖδος)* 2. 438.

Aristophanes Byzantius in Alcestidis argumento.

4 † *αἴολος.* ante 421.

Schol. Arist. Pac. 114. 119. Nubibus 1371 uti non possumus, videtur enim Phidippidae institutio alteri editioni deberi. argumentum: Plut. parall. min. 38 (312 C) = Stob. Flor. LXIV. 35. Ovidius epist. XI qui alio fonte non est usus.

5 †* *ἀλέξανδρος.* 1. *β'* 415.

Aelianus Var. Hist. II. 3. argumentum non est Hygini fabula 91, nam ibi Paridem Casandra adgnoscit, hic contra eum adgnitum vaticinatur, fg. 59. cuius vaticinii initium fragm. 929 esse Welckerus vidit. turpe est, hoc neglegi a fragmentorum editoribus; nam ne poterat quidem Casandra in alia fabula induci. ceterum in restituenda fabula felicissimum fuisse Welckerum vel Hartungus concessit.

6 † *ἀνδρομέδα* . . 412

Schol. Arist. Thesm. 1060. Ran. 53.

7 † *ἀντιόπη* . . 411—8.

Schol. Arist. Ran. 53. (Andromedae mentionem fecerat Aristophanes.) *διὰ τί μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν Ὑψιπύλης Φοινισσῶν Ἀντιόπης;* post Andromedam igitur acta. 408 Orestes docta, neque 407, 406 chorum accipere poterat Euripides, qui ad Archelaum migravisset.[3]) argumentum praeclare exposuit Otto Jahn. Archaeol. Zeit. 1852.

---

3) In animo mihi erat, de vita Euripidis dissertationem scribere. nam dudum mihi constiterat, natum eum esse 484, mortuum ultimis anni 406

8†(×) ἀρχέλαος ἀδίδακτος.

Vita. I. (Dind. I. 4. 2) *εἰς Μακεδονίαν περὶ Ἀρχέλαον γενόμενος διέτριψε καὶ χαριζόμενος αὐτῷ δρᾶμα ὁμωνύμως ἔγραψεν.* cui nequaquam obstrepit Diomedes II. pg. 488 K. qui Euripidem quo minus de Archelao rege tragoediam scriberet recusasse tradit. aliud enim est in honorem cuiusdam tragoediam nomine eius insignire, aliud de eo tragoediam scribere. quomodo autem Euripides illud effecerit, Agatharchides sanequam gravis auctor explicat (Phot. 444 b. 29.) Euripidem Archelao Temeni facta tribuisse testatus. historia igitur de Temeno narrabat facta tragoediae apta, Euripides personam illam Archelaum vocavit, conditorem scilicet regni Macedonici, ut nomen amicissimi regis, re vera alterius Macedoniae conditoris, laudibus proavi sacraretur. at Temenum quoque scripsit Euripides. opinor probe hoc cognitum habuit Agatharchides, eoque certius Euripidem nomina ad arbitrium permutasse scivit. ceterum facile hac ipsa de causa error nasci poterat ab Aristarcho reiectus, quo Arist. Ran. 1206 ad Archelai prologum respicere a quibusdam dicebatur. qui fabulam post Euripidis mortem demum Athenis celebratam non intactam ab aliena manu esse suo fortasse iure opinabantur. certe idem rectissime in Iphigenia Aulidensi coniecerunt, quamquam ad similes errores delati sunt. versus ab Aristophane adlegati *μὴ σῳζομένης* tragoediae sunt. — argumentum: Hyginus fab. 219.

---

mensibus. at post Mendelssohni curam (Ritschl. Acta Soc. Lips. II. sub finem) gravia nec corrigere possem nec addere. iam una tantum fabella vitam Euripidis deformat, nuptiae cum Choerila. opinor *Χοιρίλη Vulvula* soror est *Κερκόλα τοῦ Ἀνδρίου Virbii Caudini.* de vi et usu nominis *Χοιρίλη*, (haec genuina forma) cf. Philochor. apud schol. Eur. Hec. 3 (I. 221, 11) Hesych. s. v. et Ecphantidis servum Choerilum, alterum Cephisophontem Hesych. s. v. *ἐκκεχοιριλωμένη*, denique Cratetis Mallotae in Euphorionem epigramma A. P. XI 318. cum Mnesilochi filia, quam Melitonem adpellatam fuisse credibile est, longo et tranquillo matrimonio iunctus erat Euripides 411 cum Aristopanes Thesmophoriazusas doceret. postea demum, at ante Ranas (1048, 1408), mendax petulantia comicorum Choerilam, adulteria, Cephisophontis auxilia invenit: nemo mirari potest, si Euripides ex urbe secessit *διὰ τὸ σχεδὸν πάντας αὐτῷ ἐπιχαίρειν*, ut Philodemus ait.

9 *ἀλκμέων* (*ὁ διὰ Κορίνθου*) 2 *α'* paullo post 406.
Schol. Arist. Ran. 67. argumentum: Apollodor. bibl. III, 7, 7 nominato Euripide.

10† *αἰγεύς.*
Quae Aristoph. Acharn. 119 teste scholiasta errante ex Medea sumpsit Medeae verba fuisse creduntur. quod si verum est, Aegeo potius quam Peliadibus, doctae ab adulescentulo et parum nobili Euripide undeviginti annis ante Acharnenses, versum adscripserim; nam hoc, at hoc solum, de Aegei argumento cognitum habemus, periculum Theseo a patre per Medeae dolum paratum in ea propositum fuisse.

11* *ἀλκμήνη.*
memorat Aristophanes Ran. 93. 536. vanam suspicionem Welckeri, qui eandem Alcmenam esse voluit atque Rhadamanthum spuriam, refutavi observ. crit. in com. 16. nuper argumentum innotuit ex duobus vasculis pictis. Monum. Ined. 1837. 7. Ann. 1872. tav. d' agg. h. id enim verissime exposuit R. Engelmann. Ann. dell' Inst. 1872 ab init. quem praeclarae coniecturae multa plane absurda immiscuisse doleo. postea demum vidi, ex hac tragoedia Galenum XIX. 180 K. narrare, Herculem in matris utero latentem Amphitryonis militibus cum Alcmena ab eis corriperetur terrorem iniecisse.

12† *ἀλόπη.*
argumentum continet sarcophagus Pamfili. Winckelmann. Mon. Ined. 92. Welcker. Alte Denkm. II. 203. at insignis monumenti explicatio ad finem nondum perducta est, nec me iudice in tanta testimoniorum penuria perduci potest.

13† *ἀντιγόνη.*
memorat Aristophanes Ran. 1182. scripta post 441 Sophoclis Antigonam quia fr. 165 contra Soph. Ant. 563 scriptum est. argumentum, quod misera Heydemanni conpilatio perturbavit, etsi multa rectius disponi possunt, satis certo restitui posse nego.

14† *αὔγη.* post 415.
Argumentum: Moses Chorenensis progymn. pg. 264 Mai. cf. caput 6. meminit Augae Aristoph. Ran. 1080.

15† *ΒΑΚΧΑΙ* 3. α'. paullo post 406.
cf. No. 9.

16† *βελλεροφόντης*. ante 425.
Arist. Acharn. 426.

17†(*) *Δίκτυς* 3. γ'. 431.
Aristophanes Byzantius in Medeae argumento.

18†* *δανάη*. ante 411.
Arist. Thesmoph. 21. cf. Nauck. ad fgm. 325, 3. at multo ante illud tempus celebrem fabulam, cuius argumentum hodie incognitum est, scriptam esse numerorum Medeae aequalis severitas clamat. qua de re in septuaginta senariis haud ambiguum iudicium est.

19†(*) *ΕΚΑΒΗ*. 425 aut 424.
Aristoph. Nub. 708. = Hec. 162 qui locus ex priore editione servatus esse videtur. (1148 = Hec. 173 ex altera) at ultra 422 numeri quoque descendere nos vetant. post 426 quo anno Athenienses Deliaca sollemnia restituerunt, (Thucyd. III. 104) ob versum 455 sqq. recte hoc vidit Zirndorfer chronol. Eurip. 38.

20†(*) *ΕΛΕΝΗ*. 412.
Schol. Arist. Thesm. 1012. 1040.

21†(*) *ἐρεχθεύς*. ca. 421.
Plutarch. Nic. 9. argumentum ex fragmentis certo restituere licet, quod alibi probabo. expressit Aristophanes Lysistr. 1135.

22†* *ἐπειός*. nemo veterum huius fabulae meminit; tamen cum utroque lapide praebeatur inter *σῳζομένας* referri debet. neque quin Epeus Panopei filius tragoediae non satyricae fabulae praebuerit argumentum, ignotum quidem, ex Euripidis ingenio et usu dubitare possumus.

23 *ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΙ*. 429—427.
Aristoph. Vesp. 1160. = Heraclid. 1006. at fides scholiastae quoque habenda qui ad Equ. 214 *τάραττε καὶ χόρδευ' ὁμοῦ τὰ πράγματα* adscripsit, *παρῴδησε τὸν ἴαμβον ἐξ Ἡρακλειδῶν Εὐριπίδου*. nam non solum post 629 ingenti hiatu deformatam habemus Heraclidas (illuc non quadraret talis rixa) sed etiam in altercatione inter praeconem et chorum post 110 manifesta lacuna est, neque pauca perturbata. vel hodie igitur locus quem Aristo-

phanes expresserit indicari potest. remittimur ergo ultra annum 424; atque si ad numeros spectas, annis 430—25 unice convenit, Hippolyto similis; quod alii animadverterunt. at certius eam definit vaticinium Eurysthei 1027 sqq. inrupturos esse olim Heraclidas i. e. Spartanos in Atticam: et invaserunt 431, 430, 428, 427, 425. si ultra Pallenen prodire voluissent, fore, ut vincerentur. at anno 427 omnes Atticae partes, etiam quibus antea pepercerunt, inpune devastarunt. pepercerant autem, ceteris vastatis anno 430, (Thuc. II. 57) tetrapoli Diodor. XII. 45. 1. itaque post 430 ante 427 (aestatem) Heraclidae docta est: nam certissima lex est, vaticiniorum ea quae rata fuerint post eventum data esse, ea quae ante data essent fefellisse. haec, satis obvia profecto, nemodum palam protulisse videtur, neque tamen primus ea repperi; nam cum aliquando coram Mauricio Hauptio eos risi, qui Heraclidas aut ante Medeam aut sub finem belli Archidamici doctam opinarentur, vir summus non sine iucundo risu, quo virilem gravitatem condire solebat, se ante quadraginta annos prorsus eadem disputatione aditum sibi ad Godofredi Hermanni societatem Graecam paravisse narravit.

24 *ΗΡΑΚΛΗΣ* 423—422.

Post pugnam ad Delium commissam ante Niciae pacem conscriptam esse cum Zirndorferus tum Hartungus Eur. rest. II. 18 viderunt.

25 *ΗΛΕΚΤΡΑ.* 413.

Memorat Aristophanes Ran. 1317. numeri mediae fere diligentiae inter Supplices et Phoenissas. ad Helenam quam mox spectatoribus propositurus sit respicit Euripides 1280. tamen eadem tetralogia coniungi non poterant. nam si id voluisset, Euripides in fine Helenae Dioscuros praedicentes fecisset, et Naupliam non Spartam (i. e. Gythium) adpulsurum esse Menelaum, et Clytaemnestram ab eo humatum iri. at huius omnino mentionem non inicit, et de adventu in Laconicam multa et saepe loquitur. ab eorum igitur partibus standum est, qui anno ante Helenam proximo Electram vindicant. neque levidense est 1347 Dioscuros abire, ut in Siculo

mari naves sospitent, quod ut de Atticis navibus dictum sit (nec video quomodo aliter explicari possit), uni anno 413 convenire pluribus exposuit Weilius.

26* *Θυέστης.* ante 425.
Aristoph. Acharn. 433. scholio ad h. l. opinionem vulgarem, qua non diversa a Cressis haec fabula creditur, non confirmari sed confutari docui observ. crit. 12. ultimam dubitationem evellit marmor Piraeicum.[4])

27* *Θησεύς.* ante 422.
Schol. Arist. Vesp. 312. agam de hac fabula subtilius in capite proximo.

28 *ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ* (*στεφανηφόρος*). α' 428.
Aristophanes Byzantius in argumento.

29 *ΙΚΕΤΙΔΕΣ.* ca. 421.
Post Niciae pacem in commendationem foederis Argivi scriptam esse fabula se ipsa testatur.

30† *ΙΦΙΓΕΝΕΙΑ* (*ἡ ἐν Ταύροις*). 411—9.
Memorat Aristophanes Ran. 1232. post Troadas doctam esse neglegentia numerorum demonstrat. 413. 412. 408 tragoediis easdem fabulas aliter tractantibus occupati sunt, quamquam aliquo modo cogitari potest, cum Helena coniunctam Iphigeniam in scaenam venisse. at anno 414 cui Zirndorferus eam dedit, numeri neglegentissimi non conveniunt, nec temere credendus est Euripides quotannis quaternas fabulas scripsisse.

31 *ΙΦΙΓΕΝΕΙΑ* (*ἡ ἐν Αὔλιδι*). paullo post 405.
cf. No. 15.

---

4) Aristophanes Thyestam Proagone inrisit, quod mihi Bergkius satis aperte demonstrasse videtur. quamquam ne hoc quidem exploratum est Hillero Herm. VII 405. negat ibi Hillerus Proagonem anno 422 doctam Aristophanis fuisse. certo haec res diiudicari nequit, at paullo aliter se habet, atque Hillerus credere videtur. nam quod dicit, Philonidem illis Lenaeis et suam Proagonem et Aristophanis Vespas docuisse, tum demum fieri potuisse evincet, cum eidem homini duos choros ab archonte datos esse demonstraverit. cautius igitur fecit Petersenus, qui in Vesparum argumento *ἐδιδάχθη* (Vespae) *ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου* ultima verba deleta voluit. nimirum Philonidis mentio cum bis ferri non possit semel delenda est. ubi delenda sit ex probabilitate disceptandum. utrum probabilius, Aristophanis Proagonem memorari quam novimus an Philonidis quam ignoramus, fabulam si dis placet victricem?

32 *ΙΩΝ.*

Tempori huius fabulae, ceteris dissimillimae, certi termini nondum circumscripti sunt, praeterquam quod numeri ultra olympiadem octogesimam nonam revocari eam non sinunt.

33 *ἱππόλυτος* (*καλυπτόμενος*). ante 428.

Aristophanes Byzantius in alterius Hippolyti argumento. huius tragoediae argumentum ex sarcophagis potissimum rectius quam adhuc factum est, constitui potest. videtur enim eis *καλυπτόμενος* non *στεφανηφόρος* expressa esse. usus ea est in adornanda epistula quarta Ovidius, in Phaedra Seneca cf. 911 = Eur. fgm. 439.

34† *ἰνώ.* ante 425.

Aristoph. Acharn. 435. argumentum Hygin. 4 nominato Euripide.

35 *ἰξίων.* 410—8.

Philochorus apud Laertium Diogenem IX. 55 Euripidem in Ixione Protagorae naufragio mortui tectam iniecisse mentionem testatur. tali testi fidem derogare qualis ratio est, praesertim cum Anaxagorae luctum de filio mortuo viriliter sustentantis aperta mentio fiat Alcest. 903. ac fidem habet Philochoro vitae Euripideae elegantissimus enarrator Weilius. obiit Protagoras a quadringentis expulsus. ceterum quin Euripides magistri non tamquam nefarii sed honoris causa meminerit equidem non dubito.

36† *Κρῆσσαι.* 1. *β'* 438.

cf. No. 1. argumenti summam tradit schol. Soph. Ai. 1297. quibus recentes duce Valckenario aliena admiscuerunt.

37† *κρεσφόντης.* 430—25.

Exprimit Aristophanes Agricolis 8. 424. nec multo antea eximiam pacis laudem cecinerit Euripides. argumentum modo quasdam ariolationes subtrahas recte constituit Welckerus.[5])

---

5) Vide quantas turbas falsa lectio paret. invenis apud Welckerum, inductum fuisse in Euripidis Cresphonte Cypselum Meropae patrem, secuntur de nominibus et coniugis et filii Meropae aperte falsa. nituntur haec

38† κρῆτες.
Memorat Aristophanes Ran. 849. 1356 de argumento quae sciri possunt conlegit O. Jahnius Arch. Beitr. 237 sqq. fabulam cuius paucissima fragmenta nominatim adlata extant nobilissimam fuisse cum alia (Sueton. Ner. 12) tum monumenta picta et sculpta demonstrant. nam non Pasiphaae solum sed etiam Icari fabula per Euripidem frequens facta est. quibus subtiliter examinatis lux quam olim dederat iam in ipsam resplendebit.

39† Λικύμνιος.
fabula obscurissima, nam Arist. Av. 1242 huc non pertinere recte dixi obs. crit. 16. at quae ibidem de schol. Pac. 528 proposui, cum omnino absurda sunt, tum quia recte Meinekius in verbis ἐκ Τηλέφου ἢ Τληπολέμου ultima duo verba delevit. scioli enim nota est conpendium τη^λ male interpretati.

40† ΜΗΔΕΙΑ. 1. γ' 431. cf. No. 17. Obsecro viros non omni veri ac pulcri sensu orbos relegant Neophronis fragmenta, ut tandem desinant talia ante Euripidem scripta credere.

41† μελέαγρος. ante 415.
Arist. Av. 831. cf. Welcker. Gr. Trag. II. 755. non omni ex parte certam coniecturam esse fateor. frequens fabulae mentio in Ranis; numeri fere Ionis. argumentum: Apollod. bibl. I. 8, 2.

42† μελανίππη (ἡ σοφή) ante 411.
Aristoph. Lysist. 1124 cum schol. argumentum: scholion ad Gregor. Corinth. in Hermogen. Walz. VII. 1313.

43 μελανίππη (ἡ δεσμῶτις).
fragmento 495 ad comicorum cavillationes respondet;

---

loco Cornificii III 24, ubi filia et pater de mariti cui pater eam olim iunxerat nunc divortio adimere vult argutantur. alter ex filiae versibus hic ex

nam si improbum esse Cresphontem existimas
quid me locabas nuptiis, sin est probus etc.

referunt haec ad Ennii Cresphontem; nemo dubitat. at corruptus versus est. scribebatur *existimaveras*, quod iam recte spernitur, proximo versu refutatum. quid ergo? Ribbeckius Κρεσφόντην latine *Cressipontem* dictum opinatur, vapulatque lingua latina. divortiis hercle in tragoedia locus est. at valeant abeantque Cressipon et Meropa. Caecilius enim vel quisquis comoediam scripsit, qua Cornificius usus est, adulescentem Ctesiphontem vocavit.

fabula igitur post 425 (Aristophanis Centaurum et Acharnenses) docta est. argumentum praebet Hyginus 186, at quo caute utaris.

44† *ΟΡΕΣΤΗΣ.* 408.

schol. 371. (Dind. II. 119, 11).

45† *οἰνεύς.* ante 425.

Arist. Acharn. 418. argumenti summam ibidem scholiasta praebet.

46 *οἰνόμαος.* 1. *β'.* 411—8.

Aristophanes Byzantius in argumento Phoenissarum Oenomaum Chrysippum Phoenissas satyricam perditam Nausicrate archonte doctas esse perhibet. 411—8 Phoenissas schol. Arist. Ran. 53 tribuit, cf. No. 7. Nausicratem 411 archontem fuisse suspicatur Bergkius Vit. Soph. adn. 155, quod habet cur placeat, probari nequit. ceterum Oenomai reliquiae severitate numerorum excellunt.

47† *οἰδίπους.* post 425.

Recto iudicio usi omnes qui de hac fabula egerunt tacite post Sophoclis Oedipum (ca. 430) ca. 420—410 doctam volunt. quod evincit trochaicorum octonariorum usus fgm. 549, 901; consentit senariorum color. adcuratiora nescimus. argumentum post aliorum conamina discripsit C. Vollbehr in gymnasii Glückstadiensis programmate haud inepte. sunt tamen quae corrigi possint.

48* *Πελιάδες.* *γ'.* 455.

Vita I. Dind. I. 4. 10. argumentum: Moses Chorenensis Maii pg. 43 ed. Mediol.

49* *πηλεύς.* ante 417.

Aristoph. Nub. 1154 cum schol. videtur autem alterius editionis ille versus esse, argumentum obscurissimum. si Peleus ab Acasto male tractatus inductus erat, post Acharnenses acta videtur.

50* *πλεισθένης.* ante 415.

Aristoph. Av. 1232 = Eur. 630. Plisthenem Atrei filium non patrem esse docet 627. cetera obscura.

51* *παλαμήδης.* 2. *β'.* 415.

cf. No. 5. memorat Aristoph. Thesm. 770. tempus etiam schol. Arist. Av. 842 indicat. argumenti summa clarissima, singularia obscura.

52* *πολύιδος.* post 415.
Aetas sequitur ex versu 642, 3 *πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ δυστυχές.* non huc referendum 639, quod Hippolyti velati est. argumentum: Apollodor. biblioth. III. 3. 1.

53* *πρωτεσίλαος.*
Argumenti pars schol. Aristid. pro IV viris III. 671. Dind. fabulam probe cognitam habebit qui sarcophagum Mus. Pioclem. V. 18 explanaverit. quod nescio an frustra conatus sum. coniecturam tamen alibi proponam.

54 *ΡΗΣΟΣ.* 455—442.
Crates apud schol. Rhes. 529 ab adulescentulo Euripide Rhesum doctam esse ait. docuit igitur ante primam victoriam tragoediam, cuius ne vestigia quidem Alexandrini invenerunt, quandoquidem mediocris poetae fetu centum annis Euripide iunioris decepti sunt.

55* *Σθενέβοια.* ante 423.
Cratinus fgm. inc. 16 ridet Sthen. 667, qui 423 Lagenam ultimam comoediam docuit. Aristophanes Vespis eam primum respicit: argumentum scholion ad Gregor. Corinth. in Hermog. Welcker. Gr. Trag. II. 777.

56* *σκύριοι.*
Haec nominis forma marmore Piraeico confirmatur; eadem Sophocleae tragoediae fuit.

57 *ΤΡΩΙΑΔΕΣ.*
cf. No. 5.

58 *τήλεφος.* 3. *β'.* 438.
cf. No. 1. argumentum: O. Jahn Telephos und Troilos.

59 *τημενίδαι.*
Respicit Arist. Ran. 1338 si scholio fides.

60 *τήμενος.*
de argumento cf. No. 8.

61 *Ὑψιπύλη.* 411—9.
cf. No. 7.
memorat Aristophanes Ran. 64 et passim. argumentum: Welcker II. 554.

62(*) *ΦΟΙΝΙΣΣΑΙ.* 3. *β'.* 411—409.
cf. No. 7.

63* φιλοκτήτης. 2. γ'. 431.
cf. No. 17. argumentum ex Dione Chrysostomo 52 et 59 elucet.

64* φοῖνιξ. ante 425.
Arist. Acharn. 421. argumentum Apollod. bibl. III. 13. 8.

65(*) φαέθων. ante 425.
numeri lyrici fabulam trans illum terminum relegant. de argumento per singulas partes discribendo inter iudices lis esse perget. sarcophagi non ex Euripide pendent sed ex Alexandrino quodam poeta, quo et Ovidius et Nonnus usi sunt.

66* φρῖξος.
Aristoph. Ran. 816. somniasse eos, qui duplicem Phrixum extitisse dixerunt, inde concluditur, quod eidem priorem tragoediam a fragm. 818 incepisse perhibent. ita enim ne potest quidem ulla incipere tragoedia.

67 Χρύσιππος. 2. β'. 411—9.
cf. Nr. 7. spreverunt, idque iure, Aeliani narratiunculam, qui Var. Hist. II. 21 Euripidem in Agathonis favorem hanc fabulam conscripsisse tradit. nunc quoniam tempora concinere videmus in amicitia quam apud Archelaum cum Agathone exercuit Euripides (ibid. XIII. 4) ansa fabellae patet. Argumenti summa tantum constat.

ΣΑΤΥΡΟΙ ΓΝΗΣΙΟΙ.

1=68† Αὐτόλυκος.
Ath. X. 413. C. ἐν τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ. recte Nauckius σατυρικῷ. ita apud Zonaram lex. 1742 ἐν τῷ ἑτέρῳ Ἀμφιαράῳ pro σατυρικῷ traditum est.

2=69† Βούσιρις.
Satyricam fuisse testatur Diomedes III. p. 490 K. i. e. Suetonius catalogo satyricarum Euripidearum usus.

5=70†* Εὐρυσθεύς.

9=71† ΚΥΚΛΩΨ.

5=72* Π..........
Marmor Piraeicum post Palamedem hanc continuit fabulam. supplementa cetera certa sunt. nova igi-

tur fabula et inaudita latet. atqui sexaginta septem tragoediae et spuria omnia nota sunt. ergo una quae defuit satyrica fabula iam ex prima littera innotuit, et absolutus est catalogus. quod recte nos conclusisse numerus litterarum supplendarum evincit. aegre enim undecim litterarum unum nomen invenias. scriptum igitur extitit *Π..... σάτυροι*. ego non navavi operam, ut coniectura nomen supplerem. namque ex scriptis monumentis omnino non supplebitur; neque certo ex figuratis, nisi quis opus a Jahnio coeptum continuaverit, ut quidquid in vasculis potissimum Atticis ex satyrica poesi promanasset, coniungeret digereret examinaret.

6=73(*) *Σκείρων*.
Si ad vascula picta quinti saeculi respexissent, numquam coniecissent Euripidem de Scirone Procrustae fabulam narrasse.

7=74(*) *συλεύς*.
argumentum: Tzetzes de comoedia. (pg. XIX[b] 77 Dübn.) O. Jahn. Arch. Zeit. 1861.

ΣΑΤΥΡΟΙ ΝΟΘΟΙ.

8=75* *Σίσυφος*. 411—5. genuina et perdita 415.
Cf. caput sequens.

ΤΡΑΓΩΙΔΙΑΙ ΝΟΘΑΙ.

1=76† *Πειρίθους*. 411—5.
Cf. caput sequens. argumentum: schol. Greg. Corinth. in Hermog. VII. 1312 W.

2=77 *Ῥαδάμανθυς*. 411—5.

3=78 *Τέννης*. 411—5.

Fabularum nominibus quotquot certo et indubitato testimonio nituntur conlatis iustum numerum explevimus. restat, ut dubia examinemus, ne per arbitrium quae voluissemus effecisse videamur. *μὴ σῳζομένας* fabulas huc non facere iam docuimus, quibus sublatis paucae et nullo negotio tollendae supersunt. nam Scyllam, quam locum Aristotelis poet. 1454[a] 31 prave interpretati, Lamiam, quae prologum nescio cuius fabulae recitasse (cuius initium extat fg. 914) non fabulae nomen dedisse traditur, ultro sustulerunt illam Piraeicum hanc Albanum marmor. at ex Cadmo tres ver-

sus misere corruptos adtulit Probus in Vergil. Ecl. VI. 31. *οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς καινῶς φοτῶν ἕδος δαιμόνιον τόδ' ἐν μέσῳ τοῦ οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος.* (fgm. 451.) vel magis haec verba corrupit Valckenarii audacia; nam caelum dici caelestium signorum sedem in propatulo est; et potuit versuum auctor scribere

> *οὐρανὸς ὕπερθε κείμενος, φωτῶν ἕδος*
> *δαιμόνιον· ἐν μέσῳ δὲ τοῦδε καὶ χθονός,*
> *οὓ μὲν ὀνομάζουσιν χάος.*

at Euripides tam elumbes versus non procudit. at Euripides *αἰθέρα* divinam mentem, Iovem, ut Platonice loquar, *τὸ ὄν* iudicavit; ubi de caelo de astris in hanc sententiam disputet, docear velim. quid quod ipsum *χάος* vocabulum ignorat, neque aerem inter caelum, quasi *πνιγέα* Aristophanis, et terram positum umquam memoravit. sententias vero singulas, tamquam in enchiridio, per *οὓ μὲν ὀνομάζουσιν* enumerare poetaene est? vide Troad. 884, et discrimen inter poetam et falsarium senties. eadem igitur ex fabrica et hos versus et Cadmum progenitos esse existimo, cuius alterum specimen servavit Macrobius I. 17. (fg. 937) quam fraudem detexit Lobeckius Aglaoph. 403. atque Cadmum non extitisse etiam Albanum marmor persuadet. incipit ibi columna altera a littera K, *Κάδμος* deest. num vero probabile est unam a quadratario ex littera ista omissam esse fabulam? certe ex arte et ratione contra sentiendum esset, etiamsi aliis de causis tragoedia illa dubia non esset. nam quivis praesumitur bonus, etiam quadratarius aut librarius; quamquam philologi in hanc legem cotidie peccamus. Recentiorum opiniones, si qui fabulae Euripideae nomen invenisse sibi visi sunt, pleraeque mentione indignae. velut temere fecerunt qui apud Philodemum (de relig. Gomp. stud. Herc. II. 22) in versibus *Αἰσχύλος τὸν Δία λέγει* . . . .

> . . . *καὶ τὰ πάν*
> *τα καὶ ὑ]πὲρ τὰ πάν*
> *δης δ' ἐν μυ*
> *τον δια και*
> *νηλιωπον*
> *δαιγισθωι*
> *ονον εν οι*
> *ον δια*

Euripidis Mysos Sophoclis Aegisthum et Oeneum reppererunt. de ultimis tacere malo, ab initio scribendum esse *ὑπὲρ τὰ πάν[τα Σοφοκ](λ)ῆς δ' ἐν μι[σοῖς* spoponderim. nam *α* et *δ* in papyris aegre distingui testes oculati consentient. gravis vero una est sententia, Adolfi Michaelis, qui cum Marsyae fabulam ex omnis generis monumentis subtiliter et doctissime examinasset, satyricam fabulam eamque nobilissimam in ea inlustranda versatam esse et sibi et plerisque aliis persuasit. quam Euripidis fuisse ex fgm. 1070 conicit (Ann. d. Inst. 30, 323) cf. fgm. ad. 312. tenet sententiam etiamnunc vir eximius, atque fateor multa ei inesse quae mihi quoque adrideant. at ego idoneus iudex non sum, siquidem ipsa Marsyae monumenta non satis examinavi. quodsi Michaelis sententiam suam re vera certam reddere vult, oportet aptum nomen ex Piraeici marmoris versu 19 eliciat. quod donec factum sit, in medio haec res reliquenda est.

3.

Fabulis spuriis quas adpinxi annorum notae ostendunt me quatuor illas fabulas uni tetralogiae tribuere. quod non facio numero adprime conveniente fascinatus, quamquam ab eo me profectum esse non infitior, sed tum demum mihi persuasi, cum satyricam spuriam Sisyphum esse repperissem. quod cum constiterit rem confectam duco. vidimus autem in tribus tragoediis spuriis cuncta de crisi Alexandrina testimonia ita consentire, ut aut diserte spurias eas dicerent aut in conputo omitterent; satyricam vero unum vel duo memorant, gravissimus testis Varro omissis tragoediis numero generali conplexus est. quod parvi pendere non licet, quandoquidem non cum Byzantinis aut infimae aetatis conpilatoribus, sed cum Alexandrinis grammaticis mortalium longe adcuratissimis agimus: ea igitur demum sententia rem ad liquidum perduxisse censeri poterit, quae, unde hic dissensus ortus sit, explicaverit.

Inter tragoedias spurias Rhadamanthus et Tennes tam raro adlegantur, ut hodie paene nihil praeter nomen relictum sit.[1])

1) De Tenne et Hemithea quae narrantur et in nonnullis artis figuratae monumentis extant (Panofka Ann. d. Ist. XIX. 225. Arch. Zeit. IV. 207) tragoediam sapiunt, neque ego parvi pendo, quod in excerptis mythographicis optimae notae apud Westerm. Paradox. 219 (ex cod. laur. 50, 1) inter *φιλαδέλφους Τέννης καὶ Ἡμιθέα* nominantur.

at Pirithous et saepe et diu lecta est, atque praeter argumentum, quod infra pluribus persequar, versus non ita pauci servati sunt. in quibus spuriae originis non plane desunt indicia. ut enim de eo taceam, multa inveniri vocabula *ἅπαξ εἰρημένα*, (et Rhadam. 660, 4 *πάτωρ* mirabile sane) insunt quae ab Euripidis usu, quin a tragoedia et vetere Atthide abhorreant. huius generis est *ἐνδελεχῶς* Pir. 596, 5 ante Platonem nisi fallor non auditum, (nam Choerili fgm. 7 Samii vix fuerit) illius *Ἀίδης* tamquam creticus in senario usurpatum (930. quod summo iure huc rettulit Welcker), num vel in canticis ista mensura adhibita sit, dubitatur. denique *πρόσχωρον* (Rhadam. 659) Aeschylo Sophoclique frequens vocabulum ab Euripide constanter vitatum est. sed longe gravius, quod sententiae proferuntur Euripidis placitis oppositae. quod ad firmandam Euripideam originem adferant qui cum Elmleio Euripidem arbitrantur marvellously addicted to the practice of contradicting himself. ego persuadere mihi non possum, magnum poetam, scaenicum philosophum aut sibi aut spectantibus mentitum esse. et quisquis effigiem eius, frontem cogitando rugatam, supercilia tamquam hominis qui magna et bona facere frustra conatus sit contracta, labra clusa et contorta, qualia in homine summum dolorem frustra conpescente spectantur, quisquis denique oculos retractos quidem at ardentes, qui non in superficie rerum subsistere sed in intimam medullam penetrare consuerint, contemplatus erit, mecum sentiet.[2]) Valckena-

2) Pleraque imaginum Euripidis (et servata sunt permulta) ad idem redeunt exemplar. distat paullo herma Bonnensis et inter Capitolina capita No. 41, denique praestantissimum inter Neapolitana, quod dignum est et gypseis ectypis et subtili examinatione. (Visconti. Ic. Gr. Tav. V. Welcker. A. D. I. 484). sed archaeologi nimis seriis quaestionibus, veluti de arte antehomerica, abstinentur, quominus ad artis vere Graecae thesaurum oculos convertant, qui in statuis hermisque hominum illustrium conservatus est, nisi forte Hippocrates Aristophanes Socrates adunco naso reiciunt tanquam ad ludibrium efficta exempla, eidem qui Alcibiades Phidias Philetas securius quam circumspectius reperiunt. ego Mantuanam Euripidis protomen, quam praestantissimam dicunt Viscontius et Welckerus, viri istis nugis etiam tunc animum advertentes, non vidi. palmam defero fragmento Vaticano quod iam in Musarum oeco extat (Pioclem. VI. 29); exhibet artem Alexandro posteriorem, neque displicet quod eas faciei formas quibus ingenium quale postea credebatur Euripidis clarissime proponeretur auctas et expolitas esse animadvertimus. proxime at longo intervallo neque ut satis tuto ad paullo intentiorem eo utaris disquisitionem, caput statuae tragicae in exedra nova

rius in aurea illa diatriba de Anaxagoreis Euripidis copiose disputavit; quae integra recoqui solent, etsi nostro demum saeculo philosophia qualis ante Socratem fuerit recte cognita est. frustra apud Zellerum inter philosophos Euripidem requiris, tamen ex ipso Valckenario disci potest, de natura rerum eum nequaquam cum praeceptore consensisse. namque Anaxagorae *ὁμοιομερῆ* multa sunt et uno gradu conpositiora, ut ita dicam, quam Empedoclis *ῥιζώματα*. Euripides duo tantum novit elementa terram et aethera, qui ubi elementum est caelum quoque audit. itaque eo ipso loco, ubi Anaxagorei libri initium respicit, Melan. phil. 488, *οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία* dicit; Anaxagoras *ὁμοῦ ἦν τὰ πάντα.* alterum discrimen sequentia verba monstrant; Euripides enim *ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα*, Anaxagoras *νόος ἐπελθὼν διέκρινε καὶ διεκόσμησεν.* quid? *Ἀναξαγόρου τρόφις ἀρχαίου*[3]) ipsum *νοῦν*, propter quem *νήφων ἐν εἰκῇ λέγουσιν* extitisse ille praedicatur, non amplexus est? indignum forsitan facinus, at ne commemorat quidem usquam. nam *Ζεύς*, qui Troad. 855 *νοῦς βροτῶν* a quibusdam dici fertur, non Anaxagorae est sed alius philosophi, nescio cuius; recurrit sententia fgm. 1007. Euripides diligenter examinatis priorum philosophorum placitis novam atque suam protulit doctrinam, neque hac laude frustrandus est, quia tragoediis maluit quam pedestri libro quae sentiret exponere. atque ab Anaxagora quidem id mutuatus est, mixtione quadam omnes huius mundi res natas esse. at mixtionem longe aliam esse voluit, et ab Empedocle hac in doctrina propius abest. namque ad veterum physicorum principium reversus (neque interierat eorum schola per Heraclitum et Eleatas, utpote ex qua Diogenes Apolloniata et Hippo penderent) omnibus corporibus unam subesse credidit *ἀρχήν*, eamque rem certo nomine definiendam, non in cogitatione tantum positam.

---

temere infixum, deinde Corsinianum de cuius laude olim concessa vix recte postea detraxit Welckerus (A. D. V. 97). cetera quotquot vidi minoris pretii. at in ingenti numero et oculi et memoria falluntur.

3) Ita Alexandri Aetoli versum recte emendavit Bergkius. quod Nauckius versus illos Aristophani vindicare studuit ab aliis explosum est. contra non dubito eidem Alexandri carmini tribuere schol. Ar. Ran. 840 *ὅτι δὲ λαχανοπώλιδος υἱὸς ἦν Κλειτοῦς ὁ Εὐριπίδης, Ἀλέξανδρός φησιν.* Alexandrum comicum enim recte negavit Meinekius extitisse, ac video non me primum ita de schol. Ran. iudicare sed Ritschelio hanc laudem deberi (Opusc. I. 17.)

quam terram vocavit. neque tamen mentem Anaxagorae neglexit. nam cum ille, parum sane sibi ipse constans, concessisset *ἐν ἐνίοισι δὲ καὶ νόος ἔνεστιν*, Euripides alterum, quod omnibus rebus admixtum sit elementum, *αἰθέρα* posuit, quem eundem cum mente divina, cum deo supremo vel unico, aeternum, omnis vitae unicum fontem credidit. est igitur, ubi prope absit a dualismo, qualem ex Persarum religione amplexi sunt Iudaei et Christiani. namque anima humana spiritus illius divini particula est, spiritus autem ipse sub Iovis nomine paene absolutam et certam induit personam. quid quod eatenus procedit, ut pronuntiet corpus, utpote ex terra mortua cretum, sordidum et abiectum, vitam terrestrem nihili pendendam esse, animae autem, qua sola vivimus, patriam, cui post mortem reddatur, caelum esse.[4] quamquam talia rectius cum Parmenide et Platone Parmenidea amplexo conponimus.[5] tamen num Eleatarum doctrinas usquam satis aperte significaverit dubito. at haec longiorem requirunt disputationem: hic id tantum probandum erat, Euripidem in cosmogonia minime secutum esse Anaxagoram. conditore aut certe dispositore mundi intellectu, vel quoquo modo *νοῦν* vertere vis, uti ne poterat quidem Euripides, qui hunc quem videmus mundum ex terra et aethere (materia et spiritu divino) coniunctis olim, nunc discretis (ita ut aether caelum occupet)[6]) conpositum

---

4) Insignis locus at idem corruptissimus Helen. 1013, qui Nauckio suadente nunc deleri solet, sed summa iniuria. quis tandem, ut alia mittam, talia interpolaverit? adscribam eum, qualem ab Euripide datum existimem. dicit Theonoe, Proteum, si viveret, Helenam Menelao redditurum esse.

καὶ γὰρ τίσις τῶνδ' ἐστὶ τοῖς τε νερτέροις
καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμῶς. (*ὁ νοῦς* C)
ὁ κατθανὼν γὰρ ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει (*τῶν κατθανόντων* C)
ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.
ὡς οὖν παραινῶ μὴ μακρὰν κτ. ἑ. i. e. ne tamen longa sim in philosophia exponenda.

5) Ad *μὴ ὄντα* quae videmus et esse opinamur re vera *οὐκ ὄντα* prope accedit Meleagri illud *κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ | γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει.*

6) Quo modo ex coniuncto et indefinito statu elementa in has formas, quas nunc videmus, secreta et concreta sint, Euripides docuisse non videtur. novi locos, qui deum vitae humanae dispositorem laudent, at huc non faciunt. nec credidit deum personalem. imo per ponderis legem factum id voluerit, quoniam aether levissima terra gravissima materia est, si omnino hanc in rem inquisivit. Democritum non novit.

esse iterum iterumque pronuntiaret. i nunc et vide, quid Pirithoi scriptor sentiat: (fgm. 596)

σὲ τὸν αὐτοφυᾶ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ'
ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία
νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων
ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

quem tandem dicit? respondet Clemens, cui versus debentur, *τὸν δημιουργὸν νοῦν*. habes Anaxagoram. Euripides nec *δημιουργὸν* nec *νοῦν* novit.

Exposui alio loco (Zukunftsphil. I. 27) secundum Euripidem homini certam ingenii et morum indolem innatam esse, quae nulla umquam re deleri posset, sequi homines eum fatali necessitate, ut vel cum recte honesteque facere vellent, cum recte et honeste sentirent, inviti peccare cogerentur. plane contrariam igitur Euripidi placuisse sententiam Socraticae, quae ex recte praveve intellectis recte praveve facta deduceret. quam apte Euripidis philosophia moralis cum physica conveniat, post ea quae modo exposui dubium non erit. Socratem primum inter mortales docuisse vitam beatam non esse nisi viri recte facientis i. e. recte intellegentis vel pueri clamant, non igitur dubium, quin inauditam hanc sententiam scriptor Pirithoi (Critias, discipulus Socratis) significet fgm. 601.

οὐκ ἀγυμνάστῳ φρενὶ
ἔρριψεν ὅστις τόνδ' ἐκαίνισεν λόγον,
ὡς τοῖσιν εὖ φρονοῦσι συμμαχεῖ τύχη.

i. e. proverbium vulgi, fortes fortuna iuvat, (Aesch. Pers. 741. Eur. El. 80 etc.) scite inmutavit Socrates: „sapientes fortuna iuvat“. omisi vocabula *ὁ πρῶτος εἰπών* quae versus redintegrandi causa adfinxit Stobaeus interpolatorum sollertissimus.

Vestigia igitur etiamnunc animadvertere licet, quibus acuti critici potuerint adduci, ut Pirithoum, fortasse etiam Rhadamanthum, spuriam haberent. num vero Alexandrini ita subtiles se praestiterunt? fortasse alibi (in comoedia, in Hesiodo), non in Euripide. namque Rhesum (cuius dictio multo longius ab Euripide distat quam v. c. Rhadam. 660, quod nemo non Euripideum haberet, nisi certo testimonio innisus) quoniam eius nominis fabulam didascaliae ferebant, patienter ei certe tolerarunt qui cata-

logum confecerunt. quodsi Tennem Rhadamanthum Pirithoum ab Euripide abiudicant, eundem auctorem, didascalias consentientes habuisse putandi sunt, quodsi Pirithoum Critiae adtribuerunt, eius nomen didascalia ferebat. atqui didascalia quatuor fabulas amplectitur, ac si una propter sentiendi et dicendi similitudinem quandam Euripidi vulgo tradita est, idem in omnibus eius didascaliae fabulis factum esse haud absurde conici potest. quamquam ultra tenuem probabilitatis speciem vix progrederemur nisi alia quoque fabula inter Euripidem et Critiam controversa esset.

Sisyphum satyricam teste didascalia apud Aelianum V. H. II. 8 Euripides anno 415 docuit. excitatur Sisyphus a Suida fgm. 674.

χαίρω γέ σ' ὦ βέλτιστον Ἀλκμήνης τέκος
(σωθέντα) τόν τε μιαρὸν ἐξολωλότα (suppl. Cobet.)

at cum Herculi in Sisyphi fabula aegre locus sit, nescio an *Εὐριπίδης σισύφ* ex *Εὐριπίδης συλ'* corruptum sit. restant igitur praeter unam vocem ab Hesychio servatam quadraginta duo versus minime Euripidei, Euripidis secundum Plutarchum et Galenum, Critiae secundum Sextum Empiricum. duas igitur extitisse arbitrantur viri docti fabulas, alteram satyricam Euripidis, alteram tragoediam Critiae, quae tamen sub Euripidis nomine circumlata esset. qui vero factum, ut inter spurias omitteretur? qui factum, hodie addere possumus, ut in marmore Piraeico una tantum poneretur? qui factum, ut duae fabulae modo Euripidi modo Critiae tribuerentur? summa veritatis species inest in simplicitate. omnibus autem eius numeris satisfactum erit, si posuerimus Critiam docuisse tetralogiam *Τέννην Ῥαδάμανθυν Πειρίθουν Σίσυφον* (quod vix alio tempore potuit, quam postquam ex Thessalia Athenas rediit 411) posteriore tempore, cum partim casu partim invidia fama eius oblitterata esset,[7]) Euripidi attributam esse tetralogiam illam, Alexandrinos tandem grammaticos tragoedias quidem uno ore ei restituisse, in satyrica paullo haesisse, quia eius nominis fabulam, re vera perditam, ab Euripide doctam esse scirent.

---

7) Non solum tragoediae sed etiam *αἱ καταλογάδην πολιτεῖαι* vel Alexandro Aphrodisiensi ignotae erant, cum negaret extare quidquam praeter *ἐμμέτρους πολιτείας* quod Critiae nomen iure ferret. notum est, Herodem Atticum ex situ protraxisse pedestria Critiae scripta, atque ita factum esse, ut ab Aeliano excerperentur, Philostratus et Hermogenes de Critia agerent. legit *πολιτείας* vel Libanius.

Subsisterem hic, nam ea quae ad rem hoc libro tractandam pertinent, absoluta sunt, nisi Pirithoi tragoediae non uno nomine memorabilis argumentum diu quidem publici iuris factum sed adhuc spretum penes me haberem. ex eis quae Nauckius contulit id statim sequitur, Pirithoo exemplum praeberi fabulae per poetae arbitrium immutatae luculentissimum. inducebatur enim Hercules non Theseum tantum sed etiam Pirithoum ex inferis liberans, cum vulgaris fama et antea et postea ob temptatum Proserpinae raptum aeterno eum cruciatu dilacerari ferret; nam ut Theseus sedere aeternumque sessurus esse rarius perhiberetur, non minore violentia at prosperiore successu Atheniensium pia fraus effecit. Critiae autem fabula, etsi non id valeret, ut veteris memoriae auctoritatem penitus everteret, satis tamen celebris fuit, ut quam Plutarchus legeret, ex cuius conformatione Pirithoi fabulam nonnulli mythographorum narrarent. Hyginum 79 si cum ipso argumento infra posito conparaveris, disces, quatenus apud eum adcurata fabularum narratio enchiridii legibus aut consuetudinibus turbata sit, quam caute in restituendis argumentis adhibendus sit. quod in Pirithoo quoque non prospere cessit Welckero, qui haec fere suspicatur: induci Theseum Pirithoumque vinctos ab Aeaco custoditos de salute desperantes; intervenire Herculem missum ab Eurystheo, ut Cerberum abducat, primum quidem ab Aeaco non hostiliter excipi, mox vero pro portentosa tragoediae natura non sine egregio et immanis roboris et audacissimi animi exemplo efficere, ut amici luci reddantur; addit chorum ex heroidibus constitisse. hoc unde conlegerit nescio, nisi ex *νεκυίᾳ* finxit; captivorum desperationem ex Eur. Herc. 1460, portentosam tragoediae naturam ex Aristot. poet. 1456ª 2 sumpsit. quibus omnibus nihil proficimus. inprobabiliora etiam conicit Nauckius, perpetuus Welckeri obtrectator, qui disertum Gregorii Corinthii testimonium fgm. 594 ab Hercule per Aeacum interrogato recitatum esse tradentis abiecit, quia prologum sapere sibi videretur. at maxime mirum est, nec Welckerum nec Nauckium ad tragoediae argumentum adtendisse, quod illo ipso loco apud Walzium extat quem describunt, incipiens a verbis *ἡ ἐν τῷ δράματι τῷ Πειρίθῳ ἱστορία.* quin enim haec *ἱστορία* ipsa *ὑπόθεσις* esset, dubitare non poterant qui in hoc loco proxime subsequentem Melanippae philosophae *ἱστορίαν ὑπόθεσιν* haberent, idque rectissime illi quidem, ut optimus codex Laurentianus 56, 1 docet,

in quo scholion illud lectu difficillimum Walzius neglexit. quod non mirabuntur qui quanta et neglegentia et violentia Walzii Gregorius ex Gregorio ipso et scholiastis eiusdem consutus sit, cognoverint. adhibitis igitur ceterorum quos Walzius expressit codicum supplementis scholion illud in hunc modum scribere licet. *ἡ οὖσα* (quid hoc sibi velit, docear velim) *Πειρίθου ὑπόθεσίς ἐστιν αὕτη· Πειρίθους ἐπὶ Περσεφόνης μνηστείαν εἰς Ἅιδου καταβὰς τιμωρίας ἔτυχε τῆς πρεπούσης· αὐτὸς μὲν γὰρ ἐπὶ πέτρας ἀκινήτου καθέδρᾳ πεδηεὶς δρακόντων ἐφρουρεῖτο χάσμασιν, Θησεὺς δὲ τὸν φίλον ἐγκαταλιπεῖν αἰσχρὸν ἡγούμενος ἑκὼν εἶχε τὴν ἐν Ἅιδου ζωήν. ἐπὶ δὲ τὸν Κέρβερον Ἡρακλῆς ἀποσταλεὶς ὑπ' Εὐρυσθέως τοῦ μὲν θηρὸς βίᾳ περιεγένετο, τοὺς δὲ περὶ Θησέα χάριτι τῶν χθονίων θεῶν τῆς παρούσης ἀνάγκης ἐξέλαβεν, μίᾳ πράξει καὶ τὸν ἀνθιστάμενον χειρωσάμενος καὶ παρὰ θεῶν χάριν λαβὼν καὶ δυστυχοῦντας ἐλεήσας φίλους. ἡ δὲ τῆς σοφῆς Μελανίππης ἐστὶν αὕτη κ. τ. ἑ.*

Quibus reputatis nemo iustae tragoediae imaginem animo sibi non conformabit. fateor autem, mihi et sapientiam et artem Critiae admirandam videri, qui Theseum non sceleris sed amicitiae consortio cum Pirithoo coniunctum esse, Herculem non fabulosam bestiam sed torvum iuris infernalis defensorem vincere, sceleris poenam non abrumpi novo scelere voluerit, sed condonari, postquam Tartareum regem duplex firmissimae amicitiae exemplum misericordia permovit. [8]) vel magis autem laetatus sum, cum talem poetam se dignum sculptorem invenisse vidi.

Olim in Albanorum villa anaglyphum extitit, nuper a Torlonia viro principe in privati musei claustra coniectum, quod cum Orpheo Peliadibusque tamquam clarissimum laudari solet exemplar et eius anaglyphorum generis, quod subtilissimis artis legibus satis faciat, et eius pulcritudinis, gravitate adstrictae, quam nos Graecam, Aristoteles ethicam vocavit. [9] exhibet ille

---

8) Ex Diodoro IV. 26 conligi potest, Proserpinam Plutoni persuasisse, ut Pirithoum Herculi condonaret. consimiliter finxit Ovidius Trist. I. 9, 31

Quod pius ad manes Theseus comes isset amico,
Tartareum dicunt indoluisse deum.

9) Quantum ex gypseis ectypis concludere licet, hoc quod tenemus anaglyphi exemplum opifici debetur non nimis adcurato. ad quem et illud vitium refero, quod Herculis dextra Pirithoi umero, quem fortasse tangi voluerat artifex, occulitur, et quod ad Pirithoi pedes pharetra et arcus ita positi

lapis (Zoega bassir. II. 103) iuvenem in saxo sedentem, cui ad dextram alter iuvenis baculo innisus adstat, corporis habitu luctum salutis nescium referente; at a sinistra intervenit Hercules firmo et placido oculo ad iuvenem sedentem conversus. ita decuit severiorem artem Pirithoum solutum fingere. quando enim ea, quae ex Byzantino situ modo protraximus, vel pueri sciebant, Pirithous eo quod sedet, Theseus eo quod stat satis significati erant. locum autem pluribus quam saxo, cui Pirithous insidet pro artis legibus aetatisque consuetudine artifex significare ne poterat quidem, neque magis adfectus perturbationesque animorum lenociniis picturae propriis extollere. at etiamsi, quid dico, quia ab illis blandimentis abstinuit, opus effecit, ex quo verum et sincerum ἦθος spirare diu ante sentimus quam μῦθον perspexerimus. at hercle non in tragoedia tantum imo in omni arte μῦθος primum est et quasi caput operis: quem in Pirithoo plane et prudenter dispositum clare et distincte exhibitum esse confidenter pronuntio, nec vereor, ne intellegentes existimatores oblocuturi sint. nimirum Hercules eo ipso quod praesens est Graecum hominem dubitare non sinit, quin quae velit rata sint, non minus quam in Orpheo Mercurius.[10]) quod anaglyphum cum Pirithoo

sunt, ut cuius sint, non adpareat. qui in interpretando a talibus proficiscitur, ex conpilatione genus scribendi scriptoris delineare cupit: cautus interpres tum quoque abstinebit, cum summam eorum quae auctor exhibuit perspexerit.

10) Nihil ad rem, quod nos, fabulae ignari, diu non intelleximus, quid artifex voluerit, nam vel qui figuris vera nomina dedit, E. Petersenus Arch. Zeit. 1866 p. 258 de μύθῳ non minus quam de ἤθει mirifice lapsus est. nequaquam igitur W. Helbigius (Camp. Wandm. 19) Orpheum Pirithoumque testimonia eaque unica adferre debebat opinionis, qua antiquiores quoque artifices (saecc. V et IV) curasse negantur, ut figuras certis et manifestis signis distinctas proponerent. num reputavit ille, hoc factum esse propterea quod iudicium causis in externo anaglyphorum habitu positis non more quodam artis severioris obcaecaretur? errorem natum esse in Orpheo per ementitas monumenti Parisini inscriptiones (quamquam verae quoque exempli Neapolitani proximo demum saeculo insculptae videntur) in Pirithoo per novicia Thesei Pirithoique capita? contra certissimum est, ubicumque ab artifice ipso incerti quiddam relictum est, seram et Romanam prodi originem. non solam dico Menelai piam δαριστύν (decet pulcerrimo quod Kekuleius restituit nomine uti; recentissimis inventis utrum absurditatis an inpudentiae plus insit, videant alii) totum Pasiteliorum gregem dico in dies crescentem. nam quid quaeso Pasitelio illo nomine designatur? num eadem ex officina

non solum artis et praestantiae sed etiam sententiarum vel cogitationum conexu coniunctum haud absurde mihi videor adgnoscere, etsi fieri potest, ut artificum animus ab his subtilitatibus longe afuerit. eum enim, cuius interest ut artem Graecorum Romanorumque penitus inbuat, i. e. philologum opus est interdum quae poetae artificesve voluerint libero animi volatu capessere, modo ne pro veris venditet ariolationes, quamquam ipse Hermannus se ariolari malle quam stupere dixit. atque in Orpheo quidem saeva necessitas amantes seiungit, ut ipsum inrevocabilis sententiae nuntium misereat: in Pirithoo contra spem ex Lęthaeo gurgite suscitantur; illic quae iam certa videbatur salus nimio illo quem Graeci reformidant amore evertitur: hic *σώφρονος* amoris fides et constantia amicos ex Orci tenebris in desperatam lucem evehit — facile diceres (nam hoc quidem Graecos non sensisse consentaneum est) illic de amantium coniunctione post mortem futura desperari, hic mortem amore victam laetissimo probari exemplo.

---

praeter opera titulis insignita prodierunt matrona Herculanensis et Vesta Iustinianea, Camillus et *ἀκανθοπλήξ*, Apollines Atheniensis et Mantuanus? non unius familiae artem, unius aetatis, quae inde a Caesare usque ad Traianum duravit, per fertilissimam et praeclarissimam cognitionem quam Kekuleio debemus cognovimus. et scitissime me monuit Robertus meus, manifestum aetatis indicium in Laocoonte inde peti posse, quod eum nisi Vergilio lecto intellegere nequis. nihil iuvant ubi de tam magnis agitur stilisticae quas aiunt minutiae. si quando homines aliter sentire aliis artificiis delectari coeperunt, ex morum rerum publicarum litterarum mutatione unice id repetendum est. quae quoniam in universum constant fundamentum artis quoque historiae esse debent: nisi forte frustra vixit Winckelmannus. a generalibus lux ad singularia resplendet. cum autem Divus Iulius urbem Romam *πρυτανεῖον τῆς οἰκουμένης* reddidisset, coeptum est Asianum genus, quod per omnes regnaverat artes, relinqui, coepta est et doceri et excoli optimorum cuiusque generis exemplorum imitatio. pervicere in pedestri oratione Cicero et Calvus, Dionysius et Caecilius; nisi exaruisset, rectam viam, monstratam ab Horatio, poesis sequi poterat; malebant philosophorum eruditissimi Aristotelem aut Platonem interpretari, quam ad morem Diogenis Philodemive Stoica aut Epicurea placita ex veteribus conpendiis in nova redigere: etiam sculptura ab Asiano genere ad probam summorum operum imitationem rediit, restituitque terminos inter picturam et sculpturam paene evulsos (cogita modo Apollonii et Taurisci Dircen, Spadanam anaglyphorum seriem, pleraque aquarum ornamenta). at hercle eo ceteras artes vicit, quod quem omnes sibi proposuerant finem, quatenus humanis viribus fieri potest, vere adtigit.

Sed praestat missis istis elegantiis, quibus inparem me sentio, pauca quae etiam sine diserto argumenti testimonio sciri poterant, indicare. Theseum enim non vi sed amicitia coactum apud Pirithoum remansisse illo ipso loco, quo fgm. 598 adfert, apertissime dicit Plutarchus (de amic. mult. 96 C) *καὶ τοῦτο (τὸ συναπόλλυσθαι τοῖς φίλοις δυστυχοῦσιν) μάλιστα πάσχουσιν οἱ φιλόσοφοι καὶ χαρίεντες, ὡς Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ κολαζομένῳ καὶ δεδεμένῳ*

αἰδοῦς ἀχαλκεύτοισιν ἔζευκται πέδαις.

eodem ex loco disci potest, philosophica haud infrequentia quae vel fragmentis insunt Thesei personae tributa fuisse; quamquam anapaestos 596, 597 choro relinquendos esse puto, ut qui non ex heroidibus sed ex mystis constiterit. hoc enim usus *πλημοχόων* arguit, quas in Eleusiniis solis usu venisse eodem loco, quo 593 adfert, adserit Athenaeus. et vix aptiorem chorum excogitare poterat apud inferos Atticus poeta quam mystas, quibus etiam Euripideus Hercules (613) ibi obvius venerat. denique nescio, an aliquanto plures versus ex Pirithoo servati sint. Ex Hilleri disputatione (Herm. VIII. 455) conligitur, eos veterum grammaticorum, qui Orci ianitori, quem in Ranis nomine non indito inducit Aristophanes, Aeaci nomen tribuerunt, Pirithoum ab Aristophane credidisse expressam. idem ego mihi persuasi. utrobique mysticus chorus est, utrobique Orci minister aditum prohibens (quem Aristophanes non ex populari fabula sed a poeta quopiam fictum accepit) hic cum vero Hercule rixans luctansque, illic simulatum obiurgans et male tractans, idque verbis aperte ex tragoedia detortis. conspirant profecto scaenae, neque dubitaret quisquam, quin re vera Aristophanes Pirithoum exprimeret, nisi diserte obloqueretur locupletissimus auctor, scholiasta Aristophanis, conpluriens testatus inrideri ex Theseo Euripidea Minois Theseique altercationem. nolim tam clarum tam grave testimonium puerili levitate vilipendere videar: non me fugit sententiam quam amplexus sim evinci non posse, praesertim cum Theseus tragoedia obscurissima sit [11]) neque is sum, qui veteratoriis lenociniis

11) Continuit mortem Minotauri, inducebatur Hippolytus puer, pastor legendi ignarus. cetera ignorantur; at sufficiunt haec ut et singulare et hodie amissum esse intellegatur argumentum. mirum in modum fragmentorum conlectores Theseo faverunt. nam quae huc rettulerunt 383, 384 Cretensium esse

fucata disputatione incautis lectorum animis inponere cupiam. at quod opinionem eo firmiorem mihi visam, quo saepius eam retractarem, tandem proposuerim nudam et pro suo cuique iudicio probandam improbandamve, aequus iudex obprobrio mihi non vertet. existimo igitur, Aristophanem per aliquot Ranarum scaenas non ipsum Euripidem sed imitatorem eius Critiam inrisisse, Thesei fragmenta 386, 387, 388 ad Pirithoum refero.

4.

Vidimus Euripidem ab Alexandrinis grammaticis nonaginta duas fabulas docuisse tradi, i. e. viciens ter chorum accepisse. hinc tetralogia una secundum ea, quae de fabulis spuriis exposui, subtrahenda est. quodsi numerum viginti duorum chororum traditum ostendere potuerimus, non solum quid velit iam intellegemus, sed nova via idem ad quod aliunde delati sumus probatum inveniemus. atque Suidas et Moschopulus sub finem vitae Euripidis: *νίκας δὲ εἵλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιὼν τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτὴν ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα* (scil. tetralogiam Iphigeniam Aul. Alcmeonem Cor. Bacchas x) *τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου. ἐπεδείξατο δ' ὅλους ἐνιαυτοὺς κβ'.* ultima verba et in ceteris vitis et hic quoque in aliquot Moschopuli codicibus desunt. nam Byzantinorum plerique quae non intellegerent omiserunt; recentiores magis nimirum sapientes mutarunt. *ἐπιδείξασθαι* docere est; olim autem ita fere traditum erat *ἐπεδείξατο δὲ τὸ ὅλον ἐνιαυτοὺς κβ'*, i. e. viginti duobus annis chorum accepit. vides quam egregie haec concinant. fore olim, ut hos viginti duos annos indicare possimus, ne sperari quidem potest. tamen vel hodie non infructuosum erit denuo in chronologiam fabularum Euripidis inquisivisse — quod v. c. in Sophocle inane foret. distingui in Euripidis et vita et poesi quatuor aetates, 454—430. 430—416. 415—408. 407—6 infra clarescet. e re

---

frustra monuit O. Jahnius Arch. beitr. 238; 393 quod lemma *Θησεῖ Αἰγεῖ* habet, Theseo in quo Aegeus induci nequibat, non Aegeo, in quo Theseus inductus est, tradunt. denique 392, quod ex eodem stoici cuiusdam loco descripserunt Cicero Plutarchus Galenus, huc refertur, quia a Theseo recitatum est, cum eodem iure Aegei Hippolyti Pirithoi esse possit; quoniam Theseus in Pirithoo philosophum se gereba, et Anaxagoras ibidem celebrabatur, Pirithoi fuerit. relinquuntur igitur Theseo 382, 385, 389—91, 394.

tamen visum est secundum eas instituere quaestionem didascalicam, a fine vitae ad principium profectos, siquidem a clarioribus ad obscuriora recte transitur. atque ultimas quidem fabulas praeter *Archelaum*, quae num omnino Athenis docta sit nescimus, haec didascalia conplectitur.

XXII Ἰφιγένεια Ἀλκμέων Βάκχαι x.

praeterea spuria tetralogia intra annos 410 et 406 docta videtur. secuntur

XVI	415	Ἀλέξανδρος Παλαμήδης Τρῳάδες Σίσυφος σάτυροι.
XVII	413	Ἠλέκτρα.
XVIII	412	Ἀνδρομέδα Ἑλένη.
XIX	411/9	Οἰνόμαος Χρύσιππος Φοίνισσαι . . σάτυροι οὐ σῴζονται.
XX	411/9	Ἰφιγένεια ἡ ἐν Ταύροις } Ἀντιόπη. Ὑψιπύλη. Ἰξίων.
XXI	408	Ὀρέστης

praeterea eisdem annis certo adscribendae sunt *Polyidus* et *Auga*, non sine probabilitate *Oedipus* et *Melanippa captiva*. plenus igitur esset tragoediarum numerus, nisi quarto quoque loco tragoedia poni poterat, quod in Auga adeo haud inprobabile est. quod autem Euripidem octo annis plus sex choros non accepisse credo, plerique probabunt. a Troadibus ad Supplices magna hiat lacuna. unam tantum tragoediam, eamque non invictis rationibus huc referendam novi *Ionem*, fortasse etiam *Meleagrum*. vix tamen indicia deessent, si Euripides plures quam hunc unum accepisset chorum, quem ita noto

XV 420/416 Ἴων.

proxima et certiora sunt et magis memorabilia.

X	428	Ἱππόλυτος.
XI	427	Ἡρακλεῖδαι Κρεσφόντης.
XII	425/4	Ἑκάβη.
XIII	423/2	Ἡρακλῆς.
XIV	421	Ἐρεχθεὺς Ἱκέτιδες.

praeterea primis huius aetatis annis *Andromacham*, vel potius integram tetralogiam Democrati concessit docendam, quae in viginti duarum numerum referri nequit. Hippolyti Hecubae Herculis tempora definiuntur eis quae in catalogo disputavi. at Erechtheum et Supplices sine causa uni tetralogiae vindicasse videor. nam non potest certis rationibus probari; iudicium in sensu quodam

veri et recti positum est. Supplices ἐγκώμιον Ἀθηνῶν vocat Aristophanes Byzantius: idem quam maxime in Erechtheum unam ex praestantissimis fabulis quadrat. Erechtheo victores celebrantur Athenienses de hostibus qui in agros Atticos inruperant, pax recuperata canitur; Supplicibus Thebas σκοτεινὰ πράσσουσαν πόλιν (quarum perfidia in Panacto primum non reddito deinde diruto se monstraverat) iusta vindicta punit, cum Argivis foedus icitur, quod prudentissime suaserat Alcibiades. Erechthei exodus distincta est cantico militum victorum,[1]) Supplicibus quoque παραχορήγημα inest puerorum; illic Erechthei hic Thesei gravis rixa cum praecone hostili[2]) — utrobique praesens rerum status sub imagine temporum fabulosorum agitur, utrobique ex nobilissimis et celebratissimis Atheniensium facinus. non abhorruisse Euripidem a consuetudine Aeschyli, iunxisse interdum trilogia fabulas historiarum quodam vinculo, ita tamen ut singulae fabulae absolutae per se stare possent, didascalia anni 415 docet. haud absimilis haec fuisse videtur; curiosum igitur esset tertiam novisse tragoediam. at frustra quaerimus; namque Ion, quae ex Atticis fabulis sola in censum venire potest, cum aliis de causis, tum quia Ion. 277 sqq. Erechthei fabula narratur, quod, si tragoedia ipsa praecessisset, ineptum foret. at paullo post Erechtheum Ionem doctam esse haec quoque suadent. Heraclidae supra notam 429—27 Cresphontes 430—25 portat. conicere quispiam potuerit, has fabulas cum Hippolyto eadem tetralogia in scaenam venisse. quod et aliis nominibus inprobabilissimum est, et duobus Hippolyti locis refellitur sane memorabilibus. 831 Theseus queritur

> πρόσωθεν δέ ποθεν ἀνακομίζομαι
> τύχαν δαιμόνων
> ἀμπλακίαισι τῶν πάροιθέν τινος

et Hippolytus 1378

> ὢ πατρὸς ἐμοῦ δύστανος ἀρά,
> μιαιφόνων τε συγγόνων,
> παλαιῶν προγεννητόρων
> ἐξορίζεται κακὸν κ. τ. ἑ.

---

1) Fragm. 370. chorum ex mulieribus, uti aptum erat, constitisse demonstrant Erechthei verba 353 ὀλολύζετ' ὦ γυναῖκες κ. τ. ἑ.

2) Erechth. 354—358. Suppl. 400 sqq.

respiciunt certum quoddam facinus, quod quoniam nequaquam vulgari fama ferebatur (hodie ignotum est) praecedente quadam tragoedia clare expositum esse conicimus. singulare sane, at aliam interpretandi rationem non video. interpretes silent, ut solent. itaque cum Hippolyto coniungenda est tragoedia, quae eiusdem familiae fata inducebat. quales fuerunt *Aegeus* et *Theseus*, hanc ante 422 actam novimus, illam ante 425 coniecimus; convenit autem, siquidem Theseus ipse queritur de propinqui cuiusdam scelere, Aegeus tantum.

Heraclidas et Cresphontem, quas cum Hippolyto coniungere nolui, quin eidem didascaliae tribuerem, continere me non potui, terminis temporum tam propinquis, more Euripidis in Hippolyto et Supplicibus satis explorato. utraque in rebus Heraclidarum vertitur, utraque ad res praesentes respicit, quodsi ludere licet, Temenidae aptissime se obferunt — at nec Temenus nec fortasse Licymnius absurde cum illis coniungi poterat. de anno actarum tragoediarum ambigi potest, 429 an 427 praestet. huic fgm. 462 melius congruit, quamquam causam ita nequaquam iudicatam esse non est quod moneam. denique 430—420 non plures choros accepisse, quam quot noverimus, paene certum fit ex quamvis lacera primae aetatis notitia quae mihi praesto est: scimus enim haec tantum

I 455 *Πελιάδες*.

. . .

. . .

. . .

442 *πρῶτον ἐνίκησεν* (C. I. Gr. I. 2374, 75).
438 *Κρῆσσαι Ἀλκμέων Τήλεφος Ἄλκηστις*.

. .

. .

IX 431 *Μήδεια Φιλοκτήτης Δίκτυς Θερισταί οὐ σώζονται*.

at secundum ea quae supra disputavimus eidem aetati adscribendae sunt *Bellerophontes Hippolytus velatus Ino Oeneus Phoenix Phaethon Rhesus*. fortasse *Aeolus Stheneboea Danae*, denique ut allucinemur, *Epeus Phrixus Cretenses*. atque quin hac potissimum aetate fabulae ignobilissimae doctae fuerint, quae ne Alexandriam quidem pervenerunt, fieri vix potest. at quidni magna pars harum tragoediarum, quae iam ante 430 relegantur et hoc posito et concesso novem didascalias explent, inter 430—425

doctae esse possunt? ut essent, in universum sententia mea staret, termini modo aetatum paullo inmutarentur. at reputemus, in probabilitatis area nos versari. utrum vero probabilius, Euripidem per viginti quinque annos noviens, i. e. tertio quoque fere anno chorum accepisse, tum per quatuordecim annos sexiens, i. e. secundo quoque fere, denique per octo annos sexiens, i. e. bis trinis annis, ut et fertilitas et celebritas iusta ratione crescat, an post primam aetatem, cuius quarto vel quinto quoque anno didascalia tribuenda esset, subito ita rem mutatam esse, ut per aliquot annos fertilitatem ultimorum annorum aequaret, deinde longe recederet? quibus haud absurde ut opinor disputatis permulta addere possem — at tironis pedes lubrico solo non sine turpis lapsus periculo incedunt. itaque pleraque omnia silentio premere et vel quae ea iam promam adumbrare potius quam adroganti prolixitate efferre malo.[3])

Welckerus secundum epici cycli carmina, quem tragoediae primarium fontem posuit potius quam probavit, tragodumena sua disposuit. quod ut in Aeschylo et verum et utile, in Sophocle utile certe fuit, ita in Euripidem minime quadrare vel inde intellegitur, quod dimidia tragoediarum pars aut in classes ad arbitrium fictas aut in varii argumenti classem aut inter *propagines* cycli epici relata est. tamen modo non secundum epica carmina hodie parum nota sed ita tragoedias discernas, ut una ex parte eae ponantur quae in fabula iam ante Euripidem celeberrima versentur, ex altera eae quas aut primus aut unus in scaenam induxerit, scitu non indigna sponte se offerunt. huius generis ante 430 doctas habemus:

Aeolum Bellerophontem Dictyn Cressas Oeneum Protesilaum Rhesum Stheneboeam Inonem Medeam.

et licet eodem revocare

Alcestidem Phaethontem Phoenicem.

post 416 autem

Antiopam Chrysippum;

Alcmeonem Corinthium et Archelaum Pellae doctas.

contra vulgaris argumenti sunt ante 430:

Peliades Alcmeo Thyestes Telephus Philocteta.

3) Nisi molestum est, cum hac disputatione conferantur quae de vitae ac poesis Euripideae aetatibus satis quidem abrupte exposui Zukunftsph. II. 17.

post 416

Alexander Palamedes Troades Electra Helena Iphigenia Taurica (nisi forte haec ab Euripide demum inventa est) *Auga Ixion Hypsipyle Oedipus Polyidus Oenomaus Phoenissae* et inter ultimas fabulas *Iphigenia Aulidensis Bacchae.*

ecquid probant rationes 13 : 4 contra 5 : 15? probant invictae, etiamsi de una aut altera litiges, Euripidem iuvenem ad id incubuisse ut novis et inauditis fabulis Athenienses delectaret. quaerebat novo artis tragicae generi, quod excolebat, aptos μύθους, velut ex rustica fabella Phoenicem sumpsit, aut celebribus personis de suo adfinxit novas fabulas, velut Stheneboeae Aeropae Inoni Medeae, aut ex tenuibus principiis, quae aut populi fama aut poetae locus suggerebat, tragoediam contexuit, velut Aeolum. senem contraria sequi videmus. sane nova nunc quoque profert et in dies magis portentosa, at novum non in eis quae dat sed in modo quo dat sectatur. aemulatur ceteros poetas inque eandem descendit aream, quamquam armis diversis. fabulas Aeschyli potissimum gravitate sacratas non sine pusilli animi crimine capessit ad novae sapientiae amussim exigendas, quod nullo modo eis convenire nemo profecto melius callebat quam Bellerophontis et Medeae poeta; sin vero semel bisve ad nova accedit, philosophiam scaenae parum convenientem at hercle saeculorum admiratione dignissimam promit: Antiopa vel Platonem habet admiratorem.

Qui ita immutatus est sapientissimi poëtae animus? aliterne doctus erat sentire, oblitusne erat veri olim cogniti? minime vero. trahebat ipsum fatalis necessitas, indoles innata, quarum vim vere daemonicam cecinerat: τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν ἀλλ' οὐ ποιοῦμεν. Medeam induxerat querentem de sapiente cum invidia ingratisque hominum animis conluctante, ne poetam quidem laude carere posse. laudis egebat Euripides. Sophocli aut primum aut secundum praemium deferebatur, Euripidi cum Musam philosopham medullitus propinaret praeter ingeniosissimos magni Aristophanis risus vix quisquam respondebat.[4]) itaque peccavit in propria placita, gessit vulgo morem, solitas fabulas omnibus rheto-

4) Insulsas de Socrate Euripidis admiratore et magistro fabellas explosi Zukunftsphilologie I. 26. recto iudicio falsas dixerat Naekius Choer. 22. ac profecto vix verbo opus erat.

ricae inlecebris conditas proposuit — nec quidquam profecit, nisi quod de se ipso se descivisse doluit. postquam suam causam per Amphionem oravit, omnibus inludentibus in Macedoniam profectus est. atque blande ei risit diu mendax fortuna: a rege erudito comiter exceptus, amicitia Agathonis delenitus canere potuit *εὐδαίμων μὲν ὃς ἐκ θαλάσσας ἔφυγε χεῖμα λιμένα τ' ἔκιχεν.* et rata vidit quae viginti annis ante pollicitus erat

> *οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας*
> *Μούσαις συγκαταμιγνύς,*
> *ἁδίσταν συζυγίαν.*
> *μὴ ζώην μετ' ἀμουσίας,*
> *αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην·*
> *ἔτι τοι γέρων ἀοιδὸς*
> *κελαδεῖ Μναμοσύναν.*

Bacchis primae aetatis fabulas aequiparavit, nisi quod numerorum levitas in iambis et trochaeis offendit; Alcmeo Corinthius humanitate et nobilitate cogitationum et morum ad Alcestidem et Dictyn accedit — Iphigenia Aulidensis, si finita esset, Ionem copia, Hecubam moribus vicisset.

At votum illud felix faustumque nonne ex Hercule sumpsisti? omisimus nimirum quindecim annos, 430—416, omisimus etiam fabulas Atticas et historicas ut ita dicam i. e. aetatem heroum qui ante Troiam pugnaverant excedentes; hoc alterum discimus, summi illud quoque momenti, intra hos terminos Atticas et historicas tragoedias (praeter Archelaum) cadere omnes, quarum quidem aetas nota sit; Hippolytum (si hanc bene huc referimus; Hippolytus enim velatus primae aetatis est, altera editio a ceteris eo diversa, quod a re publica introducenda aliena est,) Heraclidas Cresphontem Erechtheum Supplices Ionem. atque ex eis quae praeterea huc referuntur ex. gr. Andromacha eo ad illas prope accedit, quod certo consilio scripta est, non poetico illo aut philosophico, sed ut in Argivis odia contra Spartanos excitaret. reliquae potius ad primae quam ad tertiae aetatis rationes conpositae sunt.

Quae cum ita sint, de vitae et poesis Euripideae gradibus et processibus sine allucinationis aut ineptiae crimine haec quoque inter explorata referre licet. postquam tragoediis quales prima aetate conposuit plausus Atheniensium parare sibi non potuit, recte arbitratus magna ex parte infaustum successum in

mythis positum esse ad Atticas fabulas se convertit; partim autem se populo proposuisse sensit quae a sentiendi et cogitandi consuetudine nimis distarent. itaque ad Aeschyli exemplum (videtur enim Sophocles ab hoc more semper abstinuisse) civium animos permovere studuit fabulis ita dispositis ut res publica Atheniensium agi videretur consiliaque dari praesenti rerum statui convenientia. neque successu caruit, non enim solum 428 praemio ornatus est, sed, quod multo pluris aestimandum est, Aristophanes huius aetatis fabulis pepercit. scripsit contra Euripidem 426. 5 Centaurum et Acharnenses, post 415 Thesmophoriazusas Phoenissas Polyidum Ranas: tempore quod inter hos terminos iacet contra Euripidem data opera scripsisse probari nequit. et vide quam infesto odio Telephum Alcestidem Bellerophontem Stheneboeam persequatur, quam crudeliter Andromedam Helenam Phoenissas laceret — Herculem Heraclidas Cresphontem Erechtheum Supplices Ionem vix semel bisve neque semper inridendi causa respicit. num hoc casui tribuendum? laetissimum hoc tempus Euripidi fuit neque id reticuit; nam Herculis locum iam vidimus, et eodem revocandum est quod in Supplicibus 180 Adrastus dicit poetae quoque opus esse animi tranquillitate, opus esse ut opera sua laetetur. etiamnunc egregiae tragoediae supersunt, verissimi dicti testimonia: laetabatur Euripides tragoediis suis. cur vero tandem subito inmutatus est? quidni perrexit in via iucunda et facili? haud ignoro responsum non esse facile, neque fortasse postulari posse. si tamen reputamus Euripidem per tragoedias suas suasisse Alcibiadis consilia, si reputamus id potissimum cordi ei esse ut in Argivis odium contra Spartanos accenderet, quo ad foedus Atheniense adducerentur, si reputamus Euripidem Alcibiade familiariter usum esse, sapientissimum poetam salutis spem in eo homine posuisse in quo solo posita erat salus: cum intellegeret, non patriae commodo sed suo tantum eum consulere itaque non Athenis tantum sed toti Graeciae certam et promptam imminere perniciem, hac quoque spe delusum illud tragoediarum genus abiecisse certe non insulse suspicabimur. interiacet inter Supplices et Troades quinquennium, in quod unam tantum didascaliam, Ionem, rettulimus, si ad genus fabulae spectas. secundae aetati adscribendam, externa forma posterioribus similem, quo lustro peracto poesin longe aliam protulit Euripides — exorsus ab ea trilogia, quae urbem Troiam per scelesta Paridis facinora

flebiliter intereuntem exhibuit, Graecorum perfidiam in Palamedis causa monstravit, Graecorum interitum praedixit prologo Troadum. cum spectatores cavea egrederentur, viderant tam pravum tamque perditum mortale genus creatum esse, ut siquid boni honesti magni viderent id evertere et delere studerent; viderant eadem nocte victum victoremque premi, summarum opum, summae felicitatis mox nihil superesse nisi cineres et naufragia. inportuno vati praemium non detulerunt Athenienses: eadem aestate classis qualem mare non vidit alteram Piraeo profecta est, non reversura. cecidere Athenae; sed victores quoque non solum Δίκη et Αἰδώς, etiam fortuna reliquerat. fuit Graecia. at Euripidem blanda deorum voluntas non solum benigno ac placido morbo abstulit, ne patriae ultimam diem videret, sed apud barbaros portum tranquillitatis intrare sivit: diceres exemplo manifestari, licet ruerent Athenae, licet patrium solum desertum iaceret, licet ex Graecorum stirpe libertatis pietatis virtutis flos eximeretur, natum esse inmortale quiddam in urbe Palladis, quod patriam inveniret iam apud propinquos Macedonas, olim apud diversissimos populos: namque ex feris et barbaris Graecos et humanos reddit, semper vivens semper vitam novam infundens summam veri pulcri boni speciem non ex longinquo sed manifestam exhibens — donec planetae nostro inter sidera mundi locus erit.

Sed rursus extra terminos vagatus sum; vix rursus excusabor. excusationem tamen ut inpetrem, uno exemplo doceam, non prorsus infructuosas aut floribus tantum non granis feraces has disputationes esse. modo enim inquirere velis, inportuno male dispositae tragoediae remedio, deo ex machina, ubi et quando Euripides usus sit, sponte tibi adparebit ante annum 430 eum hoc non fecisse. nam constat (aut facili negotio inveniri potest) deum ex machina non fuisse in Aeolo Oeneo Stheneboea Inone Medea [5]) Alcestide Phaethonte Phoenice Peliadibus Alcmeone priore Telepho Philocteta. Diana quae in Hippolyti exodo inducitur deus ex machina dici nequit, nam et persona est cuius in rebus per fabulam gestis magnas partes esse sciebamus, et per conplures scaenas cum

5) Quod nihilo secius in Medea ἡ λύσις ἀπὸ μηχανῆς fit, (Arist. poet. 1454^b.) huc in censum non venit, siquidem externa forma plane diversa est. propius fortasse a deo ex machina Peleus Phoenicis aberat.

ceteris personis etiam per iambicos senarios conloquitur; utrumque iterum reperitur: in Bacchis. postea Heraclidae Cresphontes Hecuba Hercules deo ex machina carent, neque probari potest ullam tragoediam ante eas actam eo institutam fuisse. primum igitur exemplum Andromacham habemus. at quotquot secuntur fabulae aut habuerunt inportunam machinam, aut habuisse possunt praeter Alexandrum in quo Casandra vaticinabatur, Bacchas, quarum iam mentionem fecimus, Troadas Phoenissasque, ultimas trilogiarum fabulas continuo rerum vinculo iunctarum. nam qualis in Supplicibus aut Helena in scaenam venit deus etiam Oedipo Augae Alcmeoni Corinthio convenire poterat.

5.

Otto Iahnius supremo illo sermone, quo cum Adolfo Michaelis quae de carminum Graecorum argumentis artis figuratae fontibus explorata haberet communicavit, discipulorum studiis et vastum et inexploratum significavit campum. quod ipsi nobisque mors invidit, ut quae clara ante oculos eius versarentur exponeret, reparare potius strenua cura quam iusto fletu lugere augusta viri incomparabilis, qui cupita quiete fruitur, iubet imago; et firmum fundamentum Michaelis rara pietate substratum est. constat igitur de cycli epici argumentis, fore ut recta via monstrata et augeatur cognitio et amplificetur, certa spes est. transeundem est autem ad tragoediam et carmina lyrica, ex quibus non Stesichorus tantum ac Simonides Pindarusque [1]) sed Alexandrini quoque poetae Euphorio [2]) Callimachus alii [3]) in censum veniunt [4])

1) Ex. gr. quidquid aut in litteris aut in artis operibus Herculem infantem serpentium victorem celebrat ad Pindari Nemeonicam primam redit.

2) Euphorionis carmen in pariete Pompeiano Niobidas exhibente exprimi contra doctissimum amicum A. Mavium me evicisse arbitror. bull. 1874.

3) Phaethontis fata in sarcophagis sculpta ex Alexandrino poeta a Nonno quoque expresso pendere in catalogo monui. Heliadum Aeschyli argumentum apud schol. ρ 208 tradi perperam opinatus est Nauckius. nam saepius scholiasta ille tragodumenis Asclepiadis se uti ipse testatur. Asclepiades autem tragoediarum argumenta non narravit, sed historiam fabulosam, qualis post tragicorum curas longe alia reddita erat atque qualem ex epicis lyricisque carminibus v. c. Pherecydes narraverat.

4) Ex. gr. Plutarchus, inpudentissimus ille falsarius, in parallelis usus est Erigonae Eratosthenicae argumento. Romanorum poetarum studium omnino

quamquam tota haec quaestio eis incumbit quibus utilissima opera sarcophagorum conligendorum inposita est. quorum recta interpretatio ut omnino per Iahnium potissimum, hac quoque in re Zoegae dignum *διάδοχον*, invaluit, aut omnino fallor aut ex nova demum observatione probe potest institui. namque ut sobrius homo dubitare nequibat, anaglypha ex gr. Medeae aut Iphigeniae Tauricae res conplexa unis niti Euripidis fabulis, ita pusilla quaedam at in variis anaglyphorum exemplis recurrentia ex ipsis tragoediis aegre intellegebantur. iam idem accidisse patet, quod fabularum Iliacarum scaenas ab ipsa Iliade fecit discrepantes: artifices solis argumentis idque liberius usi sunt. moleste ferimus, quod argumentorum libri, quales omnium in manibus fuisse artis monumenta fidem faciunt, paucis per litteras manifestantur vestigiis, quae Michaelis conposuit Bilderchron. 86, pergratum igitur accidit, quod Robertus

---

ab arte Romana alienum esse cum plerique vulgo adseverant tum nuper Romanae artis detrectator sollertissimus Helbigius, nescio an parum caute: quamquam enim haereticus videbor, Friederichsii, praeclari viri, placita magnam partem amplector. certe id credere nolint, Graecorum fabulas Graeca tantum ad exempla in scholis lecta esse. servata est cod. Laur. 50, 1 pars haud ignobilis ex libello scholae destinato,) quod cum ultimis Hygini fabulis arto coniunctum est vinculo. post Stephanum et Heerenium edidit Westermannus cum in paradoxographis tum in mythographis. ibi fragmentum Isigoni quo iam Vitruvius usus est et doctissimum de fortibus mulieribus caput secuntur nomina partim recondita ex historia fabulosa per classes disposita (neque absimili more Ptolemaeus Hephaestio usus est cf. Hercher Herm. VII 466) *τίνες οἶκοι ἀνάστατοι διὰ γυναῖκας ἐγένοντο*, *φιλάδελφοι*, *φιλέταιροι*, fragmentum *φιλομητόρων*, argumentum Lityersae Sosithei, haud dubie ex capite, quo Busirides Scirones id genus monstrorum ab heroibus punitorum recensiti erant, denique *κεραυνωθέντες*. similia et ordine et more disputandi apud Hyginum. finem faciunt fabellae tres quibus interponitur series metamorphoseon. atque fabellarum istarum prima et tertia ex Plutarchi parallelis desumpta est (24 quam inde corrigit Hercher ad Plut. de fluv. 19 adn. et 21 quae ipsa ex Parthenio 10 promanavit) ultima de Prosymno Argivo Bacchi amatore apud multos occurrit, quos enumerat Welcker. Gr. G. II 650, ita tamen ut ad unum enchiridii mythologici locum omnia referri possint, praeterquam quod Pausanias II. 37. 5, cui Prosymnus ceterorum Polymnus nescio an rectius audit, ex ipsis Lernaeis eam accepit; inter testes etiam Hyginus est. at metamorphoses illae ex ipso Ovidio sumptae sunt. hic enim ordo est. *Lycaon* (Ov. Met. I 222). *Argus* (I 722). *Syrinx* (I 712). *Cycnus* (II 367). *Corone* (II 574). *Nyctimene* (II 590). *Leucothoe* Orchati filia, (nam ita ex Ovidio in mythographis recte Westermannus; codex Orchomeni filiam dicit). (IV 210) ordo Ovidianus semel laedi videtur; at Argi fabula narrari coepta est ante Syringem.

meus Apollodorum bibliothecae scriptorem, quem primo alterove post Christum natum saeculo vixisse evicit, praeter Acusilaum Pherecydem Asclepiadem argumentorum quadam sylloga usum esse demonstravit; quamquam et diligentius opiniones suas persequatur oportet, et nonnulla dexterius administrasset, si Michaelis opere uti ei licuisset. praeterea simili libro Hyginum pleraque debere vulgaris opinio est quamvis multis dubitationibus obnoxia. ut enim interdum ipse excripsit argumenta, ita vel saepius non *τὴν τραγῳδίαν* enarrat sed *τὸ τραγῳδούμενον.* confer modo Iphigeniae Tauricae fabulam ex Euripide pendentem, nequaquam verum *argumentum.* praeterea Hygini fabulas tam male habitas repperit Micyllus, novissimus editor tanto peius tractavit, ut parum solidis quaestio inniteretur fundamentis. quae cum ita sint, pusillo, quod repperisse mihi videor, facto futurum harum rerum arbitrum non sine fructu uti posse credo, durasse Euripideorum carminum argumenta peculiari libello exposita usque in sera Byzantinorum tempora, Aeschyli Sophoclisque fabularum non item. omnino enim neutrius illorum tragicorum argumentum extat praeter ea, quae fabulis superstitibus praescripta sunt, si ab una Euryalo Sophoclia recedis, quam Parthenius fab. 3 excerpsit ceteroquin incognitam; namque hoc ab ipso Parthenio conditum esse argumentum cum per se patet, tum aperte eo ostenditur quod integer Sophoclis versiculus, quem probe Meinekius adgnovit, orationi intextus est, nimirum ob quaesitam elegantiam Cornelio Gallo commendandus. crediderunt quidem haud raro viri docti Aeschylearum Sophocliarumve tragoediarum argumenta manibus quasi tenere, sed evanuerunt omnia. nam de Heliadibus Aeschyli supra dictum est, et quae de Tyrone prodit Apollodorus I 9, 8 tragoediae argumentum nullo iure dicitur: omissa enim est summa tragoediae, *ἀναγνώρισις* illa quam respicit Aristophanes Lysistr. 138 Aristoteles poet. 1454^b 25; ea denique, quae Sophoclis *Κωφοὺς* (*σατύρους*) secutus schol. Nicandr. Ther. 353 narrat, huc pertinere vix quisquam putaverit.

At in Euripide res longe alia. nam Hyginus nominato Euripide argumenta praebet *Antiopae* et *Inonis* non nominato *Archelai* et fortasse *Melanippae captivae,* Apollodorus nominato *Alcmeonis Corinthii* non nominato *Polyidi Phoenicis Meleagri Antiopae* (quamquam paullo aliter conformatam atque Hyginus) *Medeae.* testimonia in catalogo perscripta sunt. longe autem gravissimum,

quod in libro, quem excerpsit, idem Medeae argumentum repperit, quod ante tragoediam nostris in codicibus servatum est. vidit hoc Robertus de Apollodoro 83. semibarbaris porro temporibus Moses Chorenensis in progymnasmatis *Augae* et ex parte *Peliadum* argumenta posuit. *Alcestidis* quod extat a Dicaearcho confectum scholiasta Platonis ad symp. 179 B. vel post eum antiquior in Aristidem commentarius conscriptus est, (qui nunc quidem in futtilissimis Byzantinae loquacitatis acervis latet, at ex codicibus optimis Laurent. 60, 3 et Vaticano 1298 integer potest restitui) hic prima verba ex *Protesilai* argumento adfert; atque Gregorii Corinthii scholiastae scholiasta *Pirithoi Melanippae philosophae Stheneboeae* argumenta satis ampla adscripsit, denique Tzetzae vel satyricae fabulae *Sylei* argumentum praesto fuit.[5]) quodsi etiamnunc dubitari possit, haeccine ex argumentorum sylloga excerpta sint an qualicumque via ad ipsas fabulas recedant, evellitur haec dubitatio eo quod Platonis et Aristidis et Gregorii scholiastae hoc modo argumenta adferunt, *ἡ τοῦ Πειρίθου ὑπόθεσίς ἐστιν αὕτη*, Tzetzes autem quod se ipsa fabula usum esse mentitur (Cramer. An. Par. III 337. 9) argumentum significat satis luculenter. denique dicendi genus siquid video prorsus aequale omnibus his scriptis, tam exile ut vix audeam duce Alcestidis argumento totam syllogam ad Dicaearchi *ὑποθέσεις τῶν Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου μύθων* referre.[6])

Qui argumentis utebantur, se ipso poeta usos esse, uti par est, simulabant. quam dissimilia ab ipsius poetae narratione inde nasci potuerint Iliacae tabulae demonstrant. tamen ne apud scriptores quidem talia desunt. constat tragicos Atticos (in Aristophane

---

5) Num forte ad argumenta redeunt quae de Antiopa Danaa Cretensibus Meleagro adscripsit Malalas? certe aliter loquitur si quando fabulam ipsam legit, veluti de Iphigenia Taurica V 136. quae de Oedipo habet insulsus homo Phoenissas spectant.

6) Etiam ab editoribus paullo neglegentius haec scripta tractantur. Phaedra epistulam scripsisse fertur *δι' ἧς Ἱππολύτου φθορὰν κατηγόρει καὶ ἐπιβουλήν.* insidias istas Hippolyti nemo novit: Phaedra Hippolytum stupri incusabat per insidias (*κατ' ἐπιβουλήν*); de Demophonte legimus *χρησμῶν δὲ αὐτῷ νικηφόρων γενηθέντων ἐὰν Δήμητρι τὴν εὐγενεστάτην παρθένον σφάξῃ τοῖς λόγοις βαρέως εἶχεν.* non verba sed oracula (*λογίοις*) aegre ferebat. inportunae constructionis exemplum praecedit. Orestes a Tauris capitur *προελθὼν ἀπὸ τῆς νεὼς καὶ φανείς*; non vero quia adparuit captus est sed quia insanivit (*μανείς*).

alia res est) in nominibus personarum proferendis admodum fuisse parcos. callebant enim natura duce verissimam artis legem, a qua recentiores ingenti cum damno artis defecerunt, operam poetae navandam esse, ut paucae tantum personae inducantur remota omni supervacanea turba, secundi vero ordinis personae nomine certe careant. scilicet ad res vere graves spectatorum et auribus et memoria opus est. quae lex eatenus invaluit, ut nutrices praecones nuntii, pastores piscatores servi, cuncta de plebe turba nominibus in tragoedia carerent. quae lex eo non violatur quod Talthybii nomine Euripides in Hecuba et Troadibus usus est: ex Homero enim istuc vel pueri cognitum habebant; Aeschylus tamen eo abstinuit, ut omnino rudiusculis etiam tunc Atheniensium animis plus quam ceteri pepercit. ut plebei ita pueri siqui in scaenam veniunt vel ubi locuntur (quod unus Euripides miserationis studio admisit) nomine carent, quod propterea memorabilius est, quod partim nominibus admodum notis utebatur, velut in Oedipo rege Antigone et Ismene in Andromacha Molossus in Alcestide Eumelus.[7] Eurysacem non nominaret Tecmessa Ai. 340 nisi ipso nomine uti debuisset Aiax 575. denique quorum in narrationibus tantum mentio fit hominum persaepe tacetur nomen. quotiens matres invocant heroes, quota quaeque nominatur: quid quod Hippolyti mater simpliciter *ἡ ἀμάζων* est, vel ubi Hippolytus solam per matrem significatur. non nego haud raro fabulis non tradita fuisse nomina (quamquam genealogica poesis eis usque ad fastidium referta est) tragicos autem fingere noluisse quorum usus nullus esset: vix rarius inutilia consulto fugiebant. longe aliter posteri sensere. iam Alexandrinae aetati quo reconditius eo gratius erat nomen. venit aetas, quae Achillis inter virgines nomen, quae Hecubae matrem quaereret. simile studium in argumentis spectatur; Hippolyti mater Hippolyta vel Antiopa audit, Medeae filii Mermerus ac Pheres, introducuntur Molossus Eumelus Copreus. quodsi iam quis argumento utebatur, ipsum Euripidem excitabat

7) Sentit lector me hic Ed. Hilleri docta ac diligenti dissertatione uti (Herm. VIII. 442) ita tamen ut quae ille recte observavit ad causas suas referam. Eumelus eum fugerat. de Macaria rectissime iudicavit; debebat autem levem Useneri errorem corrigere. nam non Iolaum eam adlocutum esse sed chorum ipsius verba ostendunt 474.

ξένοι, θράσος μοι μηδὲν ἐξόδοις ἐμαῖς
προσθῆτε.

testem eorum a quibus ille longe afuerat. Euripides Herculis filios ἀνωνύμους perire passus erat. miseratus eorum grammaticus Therimachum Deicoonta Aristodemum vocavit, quorum nominum testis adfertur Euripides schol. Pind. Isthm. 4. 104. fraus manifesta, quae Welckero quodam modo subolebat, Boeckium fallebat, ex argumento provenit. nec aliunde Oedipi et Paridis nutritores nomina partim ambigua acceperunt. hunc Archelaum vocat Asclepiades Targilenis (schol. *I.* 325) ex quo Apollodori (III. 12, 5, 4) Agelaus non quidem corrigi debet, at alteruter corruptus est. de Oedipi servo cf. Welcker Trag. II. 544. Tzetzam Pindaro tribuentem quae apud scholiastam eius legerat habes Chil. IV. 390. conf. Bergk Lyr. 2, 309, Dilthey. Callim. Cyd. 100.

6.

Quae de Auga, Alei filia, Telephi matre narrantur primo obtutu tam varia tamque contraria videri possunt, ut de enucleandis aut origine aut conexu aut ordine fabularum facile desperaveris. primis litterarum Graecarum temporibus neglecta per tragicos potissimum increbuerunt, deinde apud reges Pergamenos tamquam sacra historia culta etiam pictoribus sculptoribusque largam praebuerunt materiam, apud Romanos casu quodam obsoleverunt; itaque apud mythographos et rara et lacera eorum memoria est. cuius rei scitu non indignum documentum hoc est. ex Tegeatarum sacerdotum ore exceptum a Pausania VIII 47, 4 narratur, Augam ad sacrum Minervae fontem ab Hercule compressam esse. nullum apud ceteros scriptores huius fabulae vestigium; nihilo tamen secius certum est, ex populari traditione eam hausisse poetam haud ignobilem, quem Alexandrinum fuisse facile conicimus: picta enim extat Pompeis (Helbig. 1142). atqui in propatulo est Tegeatarum ἱεροὺς λόγους apud Pompeianos non valuisse, inventorem autem picturae neque minus imitatores admiratoresque intellexisse, quae pingerent aut viderent. omnes ergo ex eodem satis celebri carmine acceperunt. cuius rei in quamvis corroso pariete cernere licet testimonium. quae enim Augam comitatur non puella est, imo aniles formae mihi nec mihi soli etiam nunc satis distinctae visae sunt, ut vel contra egregiam Helbigii diligentiam oculis meis confidam. nutricem vero nec sacrae traditionis simplicitas nec amoenitatum studiosa Alexan-

drinae aetatis pictura intulit, sed poesis hac quoque in re Euripidearum tragoediarum consuetudinem secuta.[1])

Euripidis quid continuerit Auga, non traditur, at ex fragmentis nonnulla secuntur, iam apud Matthiaeum recte explicata. reliqui qui aut fragmenta conlegerunt aut fabulas restituere conati sunt nihil sani excogitarunt. at egregio et acumine et iudicio O. Jahnius (Teleph. u. Troil. 20, 53 sqq.) et negavit de exitu fabulae quidquam sciri, et Strabonis locum (XIII. 615) Telephi prologo vindicavit. tradidisse ibi fertur Euripides Augam cum filiolo a patre arcae inclusam et in mare proiectam esse.[2]) atqui ita non expletur tragoedia a puerperio Augae exorsa: Telephi versus his contigui servati sunt (697). remoto igitur quod videbatur de exitu testimonio primae tantum scaenae quodam modo notae sunt, Auga in templo parturiens, de Telepho fidelibus manibus tradendo cum nutrice disputans, infante per Minervae iram detecto deam obiurgans[3]) .... huc usque progredimur; at ut iusta tragoedia fiat, et quid Alei ira de filia et nepote statuerit, et quo modo illi eam effugerint, cognoscere opus est. quaecumque huc pertinentia apud veteres scriptores inveniuntur apud Jahnium enumerata ac digesta habes. at certissimum est omnibus illis

---

1) In artis figuratae monumentis haud raro Hercules exhibetur inpudica manu mulieri vestem abripiens. at de Auga cogitare vetamur, siquidem thiaso Bacchico circumdatus est. huc facit divinus ille paries Pompeianus (Helbig 1141. qui giorn. d. scavi n. s. I. Tav. 3 aequa barbarie et delineatus est et explicatus). similis scaena in sarcophago extitisse videtur, cuius ego unum tantum vidi exemplum, mutilatum illud quidem, in exedra meridionali villae Albaniae Zoega bass. II. 105. at saec. XVI. celebris haec scaena fuit, nam recurrunt anaglypha in imitationem artis antiquae ficta, quae aliquotiens ad Augae fabulam relata sunt. vidi tria, pulcerrimum unum Venetianum musei Marciani 189; capessit Hercules mulierem decenter vestitam, adiutore Amore, quem artifex de suo addidit, Lombardorum scholae se addictum esse ita manifestissime probans. alterum in Matthaeianis aedibus extat, saeculi XVI exeuntis opus in imitationem sarcophagi non nimis scite sculptum, de quo dubitationem movit O. Jahn. (Arch. Zeit. XVII 62) cum quo tertium in praecipuis figuris consentit multo etiam recentius Borghesianum.

2) Congruit haec narratio cum Hecataeo 345 Müll. quod num fortuitum sit nescimus.

3) Non certum hoc dico, at probabiliter ex fgm. 267 sumi arbitror. Minervae ira aliquid efficere debebat. poterat aliud aut certe aptius quam sacerdotis furtum patefacere?

fabulis Euripidem non usum esse. ut enim eas mittam, quippe eis quae de Auga Euripidis scimus contraria, quibus Auga praegnans detecta esse aut in Parthenio Telephum sive peperisse sive abdidisse fertur, ne id quidem congruit, quod Sophocli placuisse scimus, Augam sive Nauplio sive Caribus tradi, Telephum in Parthenio proiectum a pastoribus educari. temporis enim limitibus sana Graecae tragoediae lege flagitatis obstrepit, nec deum ex machina advocare licet, quandoquidem propria eius natura est, ut aut prohibeat quae fieri nolit, aut iubeat quae facienda mortales nesciant. inducere vero deum futura canentem, cum nihilo minus praesentia eodem tenore perficiantur, absurdum est. exposui, quod Jahnius sensit potius quam pronuntiavit, ex traditis fabulis nullam esse Euripideam. vel hoc parvi non ducerem — utinam de omnibus Euripidis fabulis tantum sciremus — at de Auga plura sciri possunt.

Ex omnibus artis monumentorum generibus, inter quae incomparabilis ille paries Herculanensis 1143 Helb. primum locum obtinet,[4]) notus est Hercules Telephum a cerva nutritum in Parthenio inveniens. at iure miratus est Otto Jahnius apud scriptores nusquam occurrere hanc fabulam; nihilominus peritissimus quisque mecum consentiet, rem ita narratam esse a nobilissimo poeta non ex populari traditione sed ex ipsius arbitrio conformatam, quandoquidem artifex 'de suo fingere talia nequibat, qui non praeponeret nisi quae intellectum iri sciret. Graecum dico non hodiernum artificem. duplici igitur ratione iucundum fuerit, si Herculem illum in Euripidea tragoedia inductum esse demonstrari licuerit; nullo enim negotio ἀναγνωρισμὸν parentum, Telephumque a patre servatum ex aliarum tragoediarum similitudine

4) Mulier alata, quae Herculi Telephum ostendit, cur non adpelletur suo nomine Victoria, nescio. quae καλλίνικον semper comitatur eodem sensu, quo veterrimi artifices Minervam Herculi iungunt, Victoria nondum ex Minervae numine derivata, quod Athenis quinto saeculo factum est. ceterum cum hanc imaginem ignorarem, anaglyphum aereum Etruscum de quo verba feci bull. d. ist. 1873. pg. 10. explicare non poteram. cum enim puerum in gremio nymphae sedentem exhiberet supervolitante aquila, quem iuvenis baculo innisus contemplaretar, fabulam ex herois cuiusdam infantia sumptam esse intellexi, nomen in medio reliqui. at ex Herculanensi pariete sequitur, Telephum esse ab Arcadia nutritum ab Hercule inventum. de aquila erravi sicut Wieseler Arch. Zeit. XI 170. verum docuerat O. Jahn ibidem X 479.

animo nobis informaverimus. atqui Herculis verba ex Auga etiamnunc supersunt fgm. 267

νῦν δ' οἶνος ἐξέστησέ μ', ὁμολογῶ δέ σε
ἀδικεῖν· τὸ δ' ἀδίκημ' ἐγένετ' οὐχ ἑκούσιον.

obtortae rationi, qua haec verba Augae Herculis dictum referenti vindicantur, vix quisquam adsentiri velit. deinde apud Hesychium abstersis levibus maculis haec leguntur *κέρας ὄρθιον ἡ νευρὰ Εὐριπίδης λέγει Αὔγῃ·* quis umquam arcus nervos *erectum cornu* vocavit? verba ante Hesychium truncata restituere non licet, valde tamen probabile videtur, *νευρὰν* olim *νεβρὸν* fuisse, et decantatum illud respici, quod grammatici queruntur, contra naturam cervae cornua a poetis tribui. denique Aelianus V. H. XII. 15 prodit, Herculem alicubi ab Euripide inductum esse puerum ulnis tenentem. qui alii tragoediae ne inprobabiliter quidem tribui potest. neque inlepidum est vel invictorum lacertorum tenellique corpusculi compositionem a poeta artificibus monstratam esse. satis tenuia quidem tamen non spernenda haec tria documenta viam monstrant: quid igitur, si hoc Augae Euripideae argumentum est?

Dum in Arcadiae quadam urbe festum Minervae celebraretur, cum eiusdem sacerdote Augea Alei filia choreas in nocturnis sacris agitante rem Hercules habuit, qui et huius furti testem reliquit ei anulum. illa ex eo gravida Telephum peperit, quod nomen ex eventu adhaesit. iam Augeae pater stupro cognito excandescens Telephum quidem deserto loco abici, ubi is a cerva nutritus est, Augeam autem abysso submergi mandavit. interim Hercules ad eam regionem delatus deque re gesta suo ex anulo admonitus et puerum ex se genitum eripuit et parentem ipsam ab instante mortis periculo expedivit. haecine conveniunt, haecine iustam fabulae formam praebent? extant apud A. Maium ad Eusebii editionem Mediolanensem 294 ex Mosis Chorenensis progymnasmatis expressa (hinc Italicum Augeae nomen) aut faciliora inventu, ubi ego quoque legi, apud Meinekium Com. V. 57. qui comici poetae fabulam enarrari credidit, quod post ea quae proximo capite disputavi, non necesse est refellam. miratus haud dubie erat vir summus parum dignum cothurno argumentum. at nihil impedit, quominus cum Welckero Augam tetralogiae quartam fabulam fuisse putemus. quamquam me illa difficultate non nimis permoveri fateor. tertiae enim aetatis

Augam esse numeri alterius versuum, quos supra posui, certissime evincunt, cum in eodem senario et anapaestus et bis tribrachys adhibitus sit.[5]) ceterum in Mosis narratione Euripides uno signo non ambigue auctor manifestatur propterea quod Telepho nomen ex eventu adhaesit.[6]) etymo nominum propriorum etiam ficto cur et quo modo tragoedia uti possit, docet ad Ai. 430 Hermannus.[7]) at Euripides praeter vulgaria et vera exempla velut Penthei Polynicis Parthenopaei Meleagri (quamquam hoc iam satis putide dictum est) multa id genus admisit nullo alio fine, nisi ut sophisticam promeret eruditionem. praesto mihi sunt non multum quaerenti Capaneus (Suppl. 496), Ion (661), Alexander et Andromacha (Alexandr. 65, 1079), Aphrodite (Troad. 989), Theonoe (Hel. 13), Thoas (Iph. T. 32 cf. Aristoph. Lemn. 2), Amphion et Zethus (Antiop. 181 sq. cf. Aristoph. Thesm. II. 9), Atreus (Iph. Aul. 322), quorum omnium aetas nota est: itaque etiam de Boeoto Melanippae captivae[8]) non haerebimus. non fortuitum est, quod Euripides sero demum ad tales argutias descendit, sed certi cuiusdam magistri haud dubie profert doctrinam. quem, etiamsi possem, non studerem hoc loco indagare, quoniam non sine longis ambagibus ad Augam revertere possum.

In Electra 367 sqq. Orestes audita Rustici sanctimonia, qui eum rogaverat, ut in pauperis sed liberalis hospitis tugurium intraret, haec philosophatur. non esse signum, quo bonum virum dignoscas, cum naturae hominum certa norma distingui nequeant, neque enim cum sanguinis nobilitate neque cum divitiis parta animi nobilitatem coniunctam esse.

---

5) Refragatur unus nisi fallor versus Androm. 333. qui Menandri tres versus male intrusos excipit, male interpolatus (est enim Andromacha inter fabulas valde interpolatas) ut hiatum obstruat. contra modo codicum lectionem δή vs. 334 serves, deletis 330—334 oratio stare potest.

6) Vereor ne Euripides Τήλεφον a θήλη et ἐλάφῳ derivaverit.

7) Multa et indisposita congessit Elmsleius ad Bacch. 508.

8) Fgm. 486. quod Nauckius perperam ad Melanippam philosopham rettulit, in qua nomina pueris fortasse per Hippen ἐκ μηχανῆς dari potuerant, quamquam non valde probabiliter. hunc vero versum ad captivam referendum esse ex Strabonis verbis VI 365 conligendum erat, qui Μελανίππην τὴν δεσμώτιδα καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς Βοιωτὸν memorat. ceterum et ex hoc etymi usu et ex deo ex machina in philosopha certe adhibito discimus, quod per se maxime probabile est, utramque Melanippam inter seriores fabulas referendam esse.

plana haec et proba; at pergit. quo igitur signo utendum esse? divitiis? at fallere — haec iam audivimus eaque multo auctiora. paupertate? at multos ea corrumpi. an ad arma confugiendum esse? at fieri non posse, ut in pugnae turbis vir vere fortis distinguatur, casui igitur relinquendum esse. quid haec hoc loco posita sibi velint, non perspicio, cum aut antea dicta aut omnino non huc quadrantia contineant; rem conficiunt sequentia. casui, inquit, id relinquendum est; nam iste (Rusticus) nec natu nobilis nec rei familiaris auctoritate, imo de plebe homo virum optimum se praestitit. abicite ergo praeiudicatarum opinionum vanitatem, nobilitatemque hominum ex moribus et consuetudine cognoscite. profecto hoc praeceptum cum altero, fortunae omnia relinquenda esse, egregie concinit! nec melius id, quod tamquam illius praecepti causa adfertur, Rusticum bonum virum esse. revera eorum causa est, quae primis versibus dicta erant. ita sententiam habemus teretem ac rotundam, nobilitatem nec in sanguine nec in opibus positam esse, cum omnino usum tum Rustici exemplum docere, repetendam igitur esse ex vita et moribus. at absoluta haec et integra sententia novo *ἐνθυμήματι* continuatur. tales enim, pergit Orestes — quales? nihil suppleri potest nisi forte de plebe homines, at suppleas licet, quod vulgo credunt, homines qualis Rusticus est — tales enim rem publicam bene administrant; corpora mente carentia in foro tantum conspicua sunt, cum in pugna etiam infirmus fortem se praestare possit: hoc enim in natura et animi robore positum est. ecqua fascinatione ex disputatione de nobilitate instituta ad quaestionem, corpus animusne plus valeret, delati sumus? nonne bella res est, Rustico *σάρκας κενὰς φρενῶν* opponi? magis etiam bellum quod Orestes prorsus oblitus est se antea negasse, quis in pugna fortiter se gereret, sciri posse; longe bellissimum naturam iam ducem praedicari, cui supra *ταραγμὸς* inesse dictus est. adparet, opinor, duos aliarum fabularum locos in Orestae orationem intrusos esse propter similitudinem quandam margini adscriptos. Euripides haec tantum dederat:

> *φεῦ·*
> *οὐκ ἔστ' ἀκριβὲς οὐδὲν εἰς εὐανδρίαν,*
> *ἔχουσι γὰρ ταραγμὸν αἱ φύσεις βροτῶν·*

ἤδη γὰρ εἶδον ἄνδρα γενναίου πατρὸς
370 τὸ μηδὲν ὄντα, χρηστὰ δ' ἐκ κακῶν τέκνα,
λιμόν τ' ἐν ἀνδρὸς πλουσίου φρονήματι,
372 γνώμην δὲ μεγάλην ἐν πένητι σώματι.
8 380 οὗτος γὰρ ἀνὴρ οὔτ' ἐν Ἀργείοις μέγας
οὔτ' αὖ δοκήσει δωμάτων ὠγκωμένος,
ἐν τοῖς δὲ πολλοῖς ὤν, ἄριστος ηὑρέθη.
οὐ μὴ φρονήσεθ' οἱ κενῶν δοξασμάτων [9])
πλήρεις πλανᾶσθε, τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτοὺς
385 κρινεῖτε καὶ τοῖς ἤθεσιν τοὺς εὐγενεῖς;
391 ἀλλ', ἄξιος γὰρ ὅ τε παρὼν ὅ τ' οὐ παρὼν
Ἀγαμέμνονος παῖς, οὗπερ οὕνεκ' ἤλθομεν,
δεξώμεθ' οἴκων καταλύσεις κτἑ.

haec est genuina et optima Orestae oratio, quae ne verbum quidem addi patitur.

Alterum fragmentorum, dum per se spectantur, Euripide dignissimorum hoc est.

οἱ γὰρ τοιοῦτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ
καὶ δώμαθ', αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν
ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσίν· οὐδὲ γὰρ δόρυ
μᾶλλον βραχίων σθεναρὸς ἀσθενοῦς μένει,
390 ἐν τῇ φύσει δὲ τοῦτο κἀν εὐψυχίᾳ

nunc quales illi *τοιοῦτοι* sint, statim intellegitur, homines elegantiori vitae cultui dediti, quorum lautae sapientiae, quam plebs mollem et luxuriosam vocat, vis consili expers opponitur. non opus est, ut in legentium animos celeberrimam Antiopae scaenam revocem, ubi etiam brachiorum mollities memoratur (199, 200).

Altera denique versuum series nescio quem (potest etiam femina esse) inducit loquentem

πῶς οὖν τις αὐτὰ διαλαβὼν ὀρθῶς κρινεῖ;
πλούτῳ; πονηρῷ τἄρα χρήσεται κριτῇ·
ἢ τοῖς ἔχουσι μηδέν; ἀλλ' ἔχει νόσον
πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακά. [10])

---

9) Dedi codicis lectionem quamvis corruptam, nam medelae mihi non satis faciunt.

10) Scripsi *κακά; κακόν* C. requiritur enim sententia „paupertati vitium inest, quod hominem mala docet, ad male facta pellicit.“ illud significat, vel malum hominem paupertas doctum reddit. nequis mihi obvertat,

ἀλλ' εἰς ὅπλ' ἔλθω; τίς δὲ πρὸς λόγχην βλέπων
μάρτυς γένοιτ' ἂν ὅστις ἐστὶν ἀγαθός;
κράτιστον εἰκῇ ταῦτ' ἐᾶν ἀφειμένα

videmus quaeri hominem et quo signo reperiri possit disputari. talem inter Augam et nutricem fuisse scaenam cum ex aliis signis[11]) conclusum est tum ex fragmento 279 ab Engero nisi fallor recte disposito.

ΑΥ. *ποῖ; πῶς δὲ λήσει; τίς δὲ νῷν πιστὸς φίλος;*
ΤΡΟΦ. *ζητῶμεν· ἡ δόκησις ἀνθρώποις κακόν.*
ΑΥ. *καὶ τοὐπιχειρεῖν γ' ἐξαμαρτάνειν φέρει.*

ecce sententiarum conexus cui versus qui in Electra leguntur conveniant. — Diogenes II. 33 versum 379 ex Auga adfert.

---

verum ex tradita lectione elici posse: eo magis claritati studere debebat poeta, quo facilius sententia per se optima at huic loco minime conveniens intellegi poterat.

11) Verissime huic scaenae adscriptus est versus a Plutarcho servatus Symp. qu. IX. 1. fgm. ad. 737

τὸν παῖδά μοι τόνδ' ἀξίως Ἡρακλέος
ἡμῶν τε θρέψαι.

at a rhapsodo eum recitatum esse per errorem dixit Nauckius.

III.

Critica.

1.

Video parum exploratum esse, quatenus tragici sibi permiserint, ut unum versum inter duas personas discerperent. constituamus igitur legem, cuius in libro primo aliquotiens iniciendа erat mentio.

Apud comicos nullis frenis coercita est libertas discerpendorum versuum, neque apud Aristophanem demum eiusque aequales (Crates fer. 1, 4 tetram. iamb. Pherecrates et Eupolis passim. Hermipp. Mil. 8. Lysipp. Bacch. 1) sed apud ipsum Epicharmum (Siren. 1. B. 26. 40 sqq.); apud Cratinum tamen exemplum nescio an fortuito non extat.

Eadem licentia in unica quam habemus satyrica, et apud Achaeum Athl. 3 quam rectissime satyricam dixit Friebel satyr. 57.

In canticis eam esse regulam, ut siquando altera in stropha locuta sit persona eodem numerorum loco in antistropho personae se excipiant, notum est; quod etiam ad hemichoria et siquando singulae chori personae canunt pertinere arbitror locos obstrepentes corruptos ratus. interdum tamen poetae unius personae clamores extra strophicam responsionem positos voluerunt. cum canticis ei loci faciunt quibus senarii iambici antistrophica lege coerciti sunt, cuius modi luculentum exemplum apud Sophoclem Electr. 1398—1441 exstat, praeclare ab Hermanno expositum, apud Euripidem Orest. 1353—1365 = 1537—1548 ubi cum alia rectius discribenda sunt tum emendandus 1540 utpote qui legem foedissime violet.

Restant systemata anapaestica et diverbiorum numeri, et iambici et trochaici quos coniunctim tractare licet. ac magnam veri partem G. Dindorfius vidit cuius haec verba sunt in quintae Aeschyli editionis minoris praefatione pg. XXIII. *Prom.* 980 *ΠΡ. ὤμοι.* [*ΕΡ. ὤμοι; τόδε Ζεὺς τοὔπος οὐκ ἐπίσταται.*] *alterum ὤμοι; addidit Richardus Schneiderus in Quaestionibus Xenophonteis Bonnae editis a.* 1860 *p.* 38 *priore ὤμοι extra versum posito. qua emendatione propterea opus erat, ne trimeter inter duas personas dividatur contra legem tragoediae antiquae, diligenter servatam in septem Aeschyli tragoediis et ab Sophocle in Antigona, fabularum quae supersunt antiquissima.* eadem de causa suo iure idem Dindorfius Sept. 218 corruptum dixit, quamquam emendationem perfecisse non videtur. tamen quin certissima haec lex sit, cui trochaici quadrati quoque obtemperent ab Aeschylo compluribus fabulis usurpati, dubium esse nequit. operae autem pretium inquirere, num legis severitatem ilico exceperit infrenata libido. ac primum quidem a libidine aliena ea dialogi forma est, de qua grammatici doctum habemus testimonium apud Hesych. *ἀντιλαβαί· διαλογικαὶ ῥήσεις ἐξ ἡμιστιχίων λεγόμεναι κατὰ μικρὸν* (?) *παρὰ τραγικοῖς.* adstringitur enim haec concitatissimae altercationis forma eisdem atque stichomythia legibus. antilabae apud Sophoclem in omnibus praeter Antigonam tragoediis occurrunt; Euripidis Alcestis Medea Hippolytus Heraclidae Andromacha i. e. fabulae numerorum severiorum et ex posterioribus Troades eis carent. antiquissima igitur exempla Hecub. 1283 sq. Hercul. 1417—21, paucissimi sane versus et longam stichomythiam finientes a Sophocleo more longe absunt. frequentantur antilabae in Ione, cuius aetas nequaquam certa est, et in fabulis Electra, quae Hecubae Herculique similis est, posterioribus, praecipue tamen in tetrametris trochaicis, quibus Sophocles non sine antilabis iam in Oedipo utitur, in Hercule demum atque sine antilabis Euripides. sed passim etiam in dialogo Sophocles versus discerpere coepit; in Aiace, quae antilabas 591 sqq. habet, 981—983. 985 inter Teucrum et chorum divisi sunt. at ita divisos voluit Sophocles ut laesa regula Teucri trepidatio ostenderetur. itaque ter una cum numeris etiam grammatica continuatio abrumpitur. convenit haec cum ceteris observatio firmatque Aiacem Antigona quidem posteriorem, ceteris fabulis priorem natu esse. Oedipus Rex Electra Trachiniae admittunt quidem versum frangi sine ea

quam Aiax plenam habet excusatione, longe tamen absunt a Philoctetae et Colonei Oedipi licentia. ex illis exempla quotquot extant haec sunt O. R. 676. 1120. Electr. 1209 (quod excusari posset) 1324. 1347. 1475 sqq. 1502 sqq. Trach. 409. 418; 876 non huc refero, at plane singulariter 1020 dactylicus hexameter ad usum comoediae frangitur. in Philocteta et Coloneo quaevis scaena exempla subministrat; quid quod eo progressus est Sophocles, ut longa ῥῆσις in medio versu inciperet. (ex. gr. Phil. 54).

Apud Euripidem in eis fabulis quae antilabis etiam tum carent ab Aeschylea severitate deficiunt hi versus:

Alc. 390 *ΑΔ. βλέψον πρὸς αὐτούς, βλέψον. ΑΛ. οὐδέν εἰμ' ἔτι.*
ΑΔ. τί δρᾷς; προλείπεις; ΑΛ. χαῖρ' ΑΔ. ἀπωλόμην τάλας

817 *ΘΕ. οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις.*
πένθος γὰρ ἡμῖν ἐστιν· καὶ κουρὰν βλέπεις
μελαμπέπλους στολμούς τε. ΗΡ. τίς δ' ὁ κατθανών;
μῶν ἐκ τέκνων τι φροῦδον ἢ πατὴρ γέρων;

1119 *ΗΡ. ἔχεις; ΑΔ. ἔχω. ΗΡ. καὶ σῷζέ νιν κ. τ. ἑ.*

ut primum exemplum excusatione non indiget, ita tertium ex singulari actione excusatum duco; nam versus cum Nauckio eiciendi vix possunt videri. at 817 sqq. non solum hanc legem violant, sed etiam stichomythiam inportunissime interrumpunt. at scholiasta 818—820 spurios esse adfirmat, rectissime igitur Kirchhoffius lacunae obstruendae causa fictos dixit.

Med. 1006.
ΜΗ. αἰαῖ.
ΠΑΙ. τάδ' οὐ ξυνῳδὰ τοῖσιν ἐξηγγελμένοις
ΜΗ. αἰαῖ μάλ' αὖθις. ΠΑΙ. μῶν. κ. τ. ἑ.

Hipp. 310.
ΤΡ. . . . .
Ἱππόλυτον. ΦΑΙ. οἴμοι. ΤΡ. θιγγάνει σέθεν τόδε;
352 *ΤΡ. Ἱππόλυτον αὐδᾷς; ΦΑΙ. σοῦ τάδ', οὐκ ἐμοῦ κλύεις.*
724 *ΧΟ. εὔφημος ἴσθι. ΦΑΙ. καὶ σύ γ' εὖ με νουθέτει.*
1325 *ΘΗ. δέσποιν' ὀλοίμην. ΑΡ. δείν' ἔπραξας κ. τ. ἑ.*

Androm. 1077
ΧΟ. ἆ ἆ τί δράσεις, ὦ γεραιέ, μὴ πέσῃς,
ἔπαιρε σαυτόν. ΠΗ. οὐδέν εἰμ', ἀπωλόμην.

Abruptus sermo et Phaedrae amati iuvenis nomine expavescenti et Medeae Theseo Peleo fatalis nuntii atrocitate perculsis egregie convenit; εὔφημα φώνει tam breviter dictum sollemne est (Soph. Aiac. 591. Eur. Herc. 1184 etc.). donec Euripides ab antilabis abstineret certi quiddam laesa regula exprimi spectatores latere non poterat. postquam igitur illas admisit vel parcior in hoc admittendo est. habet tamen eis quae modo adtulimus paria haec:

Hecub. 1127. Polymestor caecatus mulieres insectatur
ΑΓ. οὗτος, τί πάσχεις; ΠΟΛ. πρὸς θεῶν σε λίσσομαι κ. τ. ἑ.

Suppl. 513 ΑΔ. ὦ παγκάκιστε. ΘΗ. σῖγ' Ἄδραστ' ἔχε στόμα.

Helen. 1514. Adcurrit nuntius
ΘΕΟΚ. τί δ' ἔστιν; ΑΓΓ. ἄλλης ἐκπόνει μνηστεύματα κ. τ. ἑ.

Iph. Taur. 780 ΟΡ. ὦ θεοί. ΙΦ. τί τοὺς θεοὺς ἀνακαλεῖς ἐν τοῖς ἐμοῖς.

ceterae tragoediae ne unum quidem praebuerunt exemplum, nam Phoenissarum τειχοσκοπία, utpote canticum, huc non facit, et El. 692 ubi Victorius tale quid finxit supra evanuit. non tamen semper Sophocleae levitati restitit Euripides. namque et Orestes, quam ultimam Athenis docuit, conpluriens regulam violat 1345 sqq. 1689, ita ut ne ariolando quidem inveniri possit excusatio, et Bacchae 189 unum tantum at plane singulare exemplum longioris orationis in truncum versum desinentis. quamquam hoc ut credam aegre adducor; adtrectari tamen locus nullo modo potest. in Iphigenia Aulidensi si unum aut alterum occurreret certum ceteroquin exemplum, miri nihil haberet, et calidiore iudicio supra vs. 1138 hac causa sola condemnari dixi. tamen quotquot extant praeter antilabas exempla aut aperte spuriis in versibus sunt ut 415 et 1537 aut dubia certe; nam 739 scribi solet

ΑΓ. πιθοῦ. ΚΛ. μὰ τὴν ἄνασσαν Ἀργείαν θεάν,
ἐλθὼν σὺ τἄξω πρᾶσσε, τἀν δόμοις δ' ἐγώ.

et scholii instar Φ supra μά οὐ posuit. sed tragici legem non norunt, qua μά detestandi particula dicitur, neque Agamemnonem cum Clytaemnestram obtestetur per Iunonem iurare dedecet. restituenda igitur stichomythia videtur.

Systemata anapaestica paucis absolvere licet. quorum apud Aeschylum is usus est, ut systema non interrumpatur. ubi altera

incipit persona, altera paroemiaco systema clausit. haec tot exemplis firmatur regula, ut unum qui obstrepat versum Pers. 930 confidenter dicam corruptum. at apud Sophoclem Euripidemque in systemate anapaestico libere se excipiunt personae, ita tamen ut integro saltem dimetro orationes finiantur. cf. ex. gr. Soph. Antig. 929—935. Philoct. 159—162. 1447—50. Oed. Col. 138—145. 1753 sqq. Eurip. Alc. 93—98. 105—110. Med. 96 sqq. Hipp. 202 sqq. Ion. 220 sqq. in posterioribus tragoediis rarissime anapaestis usus est Euripides, quamquam non prorsus vel longiores vitavit declamationes, quales in Medea et Hippolyto legimus, cf. Chrysipp. 836. quod his finibus libertas coercita est ex natura numerorum anapaesticorum sequi mihi videtur. facere igitur non possum, quin peccasse dicam Sophoclem, qui non consuetudinis tantum sed naturae legem violaverit. ita enim ille Trach. 977

. . στόμα σόν. ΥΛ. πῶς φῄς, γέρον; ἦ ζῇ;

981 *. . νόσον ὦ τέκνον. ΥΛ. ἀλλ' ἐπί μοι μελέῳ κ. τ. ἑ.*

990 *. . βλεφάρων θ' ὕπνον. ΥΛ. οὐ γὰρ ἔχω πῶς ἂν κ. τ. ἑ.*

idem Sophocles elisione in trimetri fine admissa similiter contra numeros peccavit. Euripides ut hoc vitio ita illo quoque immunis est. nam Iph. Aul. 2 *στεῖχε. ΠΡ. στείχω.*

3 *ΑΓ. πεύσει. ΠΡ. σπεύδω.*

149 *ΠΡ. ἔσται τάδε. ΑΓ. κλῄθρων δ' ἐξόρμα*

(si coniecturae fides est.)

nihil probat nisi Euripidem minorem neglegentiorem maiore fuisse. omnino enim non intellego, quomodo reiecta verissima Bremii sententia, qui anapaestos ab Euripide maiore abiudicaverat, iam eo progressa sit criticorum violentia, ut prologum siquid aliud Euripideum repudient. luculentum veri testimonium etiam ex sermone peti potest. Euripides vocem *θυμέλη* saepius usurpat, sed unam novit vulgarem *arae* notionem: Iph. Aulid. 152 *Κυκλώπων θυμέλαι* moenia sunt, usu et vetere et probo at minime Euripideo, de quo satis egit Wieselerus. in anapaestis *τὸν Σοφόκλειον ὑποφαίνει χαρακτῆρα* scriptor Rhesi (16, 17), in senariis vero ne antilabas quidem admittit (quas in trochaicis tetrametris habet 686 sqq.) nedum laxiori indulgeat disciplinae. docemur igitur hac quoque in re superstitibus etiamtum Sophocle Euripideque sensim relaxatam esse veteris tragoediae severitatem, duce ac principe in numeris Sophocle, in rerum tractatione Euripide, a

duum virorum magnorum exemplo cum aequales pependisse tum eos qui proxime sequerentur, (Agathonem Critiam Chaeremonem Carcinum[1]) dico; de ceteris parum constat) at fuisse tempus, quo Athenienses diffluentis levitatis taederet; rediisse igitur quantum possent ad antiquiora exempla; atque suspicari licet, hac ex causa Theodectae gloriam non minimam promanasse. cuius severioris Musae unum poetam inlustravit Meinekius Moschionem, cum doceret eum ab omni pede trisyllabo in senariis cavisse; mediocris ingenii fetus at consimili subtilitatis amore commendati extat Rhesus, saeculo quarto exeunte haud dubie Athenis scripta. de posterioris aetatis tragicis quod omnino nihil scimus, ingens at inreparabile damnum.

2.

Im allgemeinen kann es als eine Regel des griechischen Dramas gelten, dass über den Namen einer neu auftretenden Person, wenn der Dichter ihr überhaupt einen beilegt, das Publicum alsbald aufgeklärt wird; und zwar geschieht dies, indem entweder der Auftretende selbst seinen Namen angibt oder kurz vor oder nachher derselbe in der Rede eines anderen vorkommt.

Ita Hillerus in capite dissertationis cuius iam supra aliquotiens mentio mihi inicienda erat. quae quamquam in universum recte disputata sunt, facile tamen intellegitur sciri posse de tragoedia multo adcuratiora. comoediam nunc non curo, et protulit Hillerus de ea eximia. expedit autem singulorum poetarum consuetudinem examinare. fieri enim non potuit quin diversis temporibus diversisque ingeniis diversa placerent.

Principem locum facile sibi vindicat Aeschyli nativa et virtutis incorruptae vix sibi conscia ars. ut ab omnibus putidae consuetudinis molestiis procul abest, ita τὰ διὰ παντὸς ἀμώμητα longe superat ἐκείνη ἡ ἐκβολὴ τοῦ δαιμονίου πνεύματος ἣν ὑπὸ νόμον τάξαι δύσκολον. ab inutili nominum sarcina abstinuisse Aeschylum iam vidimus; idem ubi e re videtur simpliciter nomina

1) Carcinus simia Euripidis dici potest. ex tragoediarum titulis cum illo conveniunt Aeropa Alopa Thyestes Medea Oedipus Orestes. et cf. Semel. 3 cum Eur. Beller. 670. Carc. 6. cum Eur. Aug. 267 (Meinek. Com. IV. 695.) Carc. 10 = Eur. Phoen. 597. Carc. 5, 1. Eur. Helen. 1307 Alex. 64. alia.

ipsa ponit: *τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων πιστὰ καλεῖται;* aut inauditum Atheniensibus adspectum copiosa descriptione familiarem reddit (Eumen. prol.), aut ubi nec nomine nec descriptione opus est verbis parcit: Thebanas virgines videas. personae aut adpellantur, aut ingredientes nominantur describunturve, aut ipsi se nominant, modo ocius modo serius ut libuit poetae; cuius nova in quoque exemplo virtus spectatur. uno defungar exemplo. Casandra una cum Agamemnone in scaenam (sive orchestram) venit; nemo eam curat. deinde Agamemno cum domum ingreditur Clytaemnestram iubet *peregrinae mulieri* comem se praestare et benevolam dominam, a nomine ipso ab omni adcuratiore significatione cavet. quod ut moribus Agamemnonis egregie convenit, ita spectatorum animos non sinit praecoci Casandrae miseratione permoveri. tandem ubi vaticiniis eius opus est a Clytaemnestra adpellatur 1035. num divinius institui poterat? ubi iterum procedit sive in eadem sive in alia eiusdem trilogiae [1]) fabula indicatione non opus est; fit tamen interdum. contra tacito nomine inducit aliquotiens personam, de qua ex tota tragoediae conformatione spectatores dubitare non posse arbitratur. exempla sunt Aegisthus Ag. 1577, Xerxes Pers. 907. veste et habitu satis indicari putavit Apollinem Minervamque Eumenidum. in Prometheo Vulcanus Robur Vis suo nomine statim adpellantur, Mercurius muneris commemoratione significatur 941, Prometheus matris nomine 18 sicut Io 590 patris. at gravissimum est quod personas certo nomine destitutas non inducit Aechylus nisi diligenter aut significatas aut descriptas. causa in propatulo est. sub ipsa enim tragoediae principia certae personae deerant quae quotannis in scaena spectatae indicationem supervacaneam redderent. conponam omnes Aeschyli locos, eo enim gravior haec res est, quo parciora aliunde de personis tragoediae Atticae conperta habemus, vel potius nulla; quae enim Iulius Pollux libro quarto huc pertinentia disputavit longe posterioris sunt aetatis nec ante artificum Dionysiacorum tempora conponi poterant.

nuntius in Persis 246 a choro describitur; sed hoc utpote in homine barbaro etiam postea opus fuisset. Sept. 39 qui iam

1) Monet hoc Hillerus de Eumenidum Oresta. non debebat Choephoron Aegisthum nec Choephoron Eumenidumque Clytaemnestram neglegere. Choephoron autem Orestes procul dubio sexto versu nunc deperdito ipse se nominavit.

ex consuetudine aetatis posterioris nuntius vocatur, Aeschylo κατόπτης est 30. 41. 371: vides quam sedulus in eo significando Aeschylus fuerit. servus excubitor prologum Agamemnonis ab ipsius descriptione orditur. ianitor Choephoron 637 vocatus est more Atheniensibus familiari, tragicis hac ipsa de causa insolito, παῖ παῖ. omnino haec persona occasione saepissime oblata non recurrit. praeco Agam. 473 a Clytaemnestra copiose describitur. de praecone Aegyptio idem valet atque de nuntio Persa, spectatores eum Aegyptium esse sciunt ubi in scaenam venit 826, quod praeconem se dicit 931 ne ad vestem quidem quidquam facit. at more sequiore veste tantum significatur praeco Septem 1005. quod me iudice nihil probat nisi speciosis opinor argumentis quibus Thebanae fabulae exodus quamquam dissentientibus gravissimis viris ab Aeschylo abiudicatur novum addi nec leve illud argumentum. sacerdos Pythia vel potius προφῆτις (cf. lib. I. cap. 4) veste haud dubie sacerdotium prae se fert, Pythiam eam esse Agatharchi nobilis scenographia docuit: nam credidisse Aeschylum spectatores ex eis quae viderent de loco fabulae edoceri vss. 3 et 11 demonstrant. nutrix Choephoron 733 non solum significatur a choro sed nomen adeo proprium ex familiari Atheniensium usu accipit. quam alienum hoc a more sequiore fuerit nihil melius ostendit quam quod grammatici sollemni nutricis persona adsueti Cilissae suum nomen denegarunt. quamquam eidem Pelasgum βασιλέα tantum vocant non meliore de causa, ut ex grammaticorum usu Hillerus paullo confidentius videri possit auctoritatem eis quaesivisse, quae in re ipsa Hillerique iudicio multo firmiorem habent auctoritatem.

Sophocles ab Aeschylea praestantia non deflectit nisi quod sciens rectum facit. cum enim eum molestiarum Euripidearum taederet summo artificio cavit, ne quidquam ulla de causa extrinsecus adlata videretur aut fieri aut dici. itaque nec quae iterum in scaenam venit persona nominatur, nec quisquam se ipse nominat, nisi forte tam insigne inde succrescit acumen quale in Oedipo spectatur sive τὸν πᾶσι κλεινὸν sive τὸν πλανήτην Οἰδίπουν se vocat. plerumque personarum nomina mutua adpellatione efferuntur, idque in prologis potissimum (Antig. Ai. El. Phil.); nimirum ibi potissimum displicebat Euripidis putida consuetudo. aliquotiens porro ab Aeschylea audacia adeo non refugit, ut personarum nomina per breve tempus spectatorum acumini, sive memo-

riam dicere mavis, relinqueret divinanda. vide Deianiram in Trachiniarum prologo, Clytaemnestram El. 516; Tecmessa Ai. 210 Teleutantis filia vocatur: vereor ut patris nomen Atheniensibus tam notum fuerit. contra in personis certo nomine carentibus, sed in scaena Attica sollemnibus vesti confidit. tales personae apud Sophoclem sunt nuntius iuvenis Antig. 1155, Ai. 718, Oed. Col. 1579. nuntius senex vel potius senex Oed. R. 924. Trach. 180. 973; nam eadem persona haec loquitur. nuntius domesticus (ἐξάγγελος) Antig. 1277. O. R. 1223. nutrix Trach. 51. 871, haec quoque inter duas personas inprudenter distribuuntur. servus excubitor Antig. 223. quae non erant in tragoedia sollemnes personae, velut sacerdos in Oedipode rege et Coloneus in Coloneo, suo iure aut describuntur aut se ipsi indicant. ceterum periti lectores iam senserunt me non curasse chori anapaestos quibus in Antigona pleraeque personae etiam ubi iterum procedunt excipiuntur. non dubito quin id certe hinc sequatur, non sibi constitisse Sophoclem per totam vitam, sed hoc per se consentaneum est, nec tamen sufficit una fabula ut certa concludantur. sine anapaestis praeter excubitorem nuntiumque in scaenam venit Tiresias 988: idem in Phoenissis Euripidis 834 post longiorem demum orationem adpellatur quod ab usu Euripideo paullulum deflectere videbimus. sequiturne fortasse, satis indicatum fuisse eum veste personaque? magni momenti caecitas est, et vestem Tiresiae ceterorumque vatum fuisse in tragoedia rete laneum ἄγρηνον vocatum Pollux IV. 116 tradit, servataque eiusmodi statua non pessima in Vaticano prope Meleagrum.

Euripides artis tragicae libertatem legibus perquam molestis coercuit. num eum latebat quam fastidiose οὐξιὼν πρώτιστα μὲν τὸ γένος ἂν εἶπεν εὐθύς? non poterat, ridebatur enim. sed et facillime ita defungebatur necessario officio, nec puto veri nihil vidisse Lessingium, cum Euripidem curavisse coniceret ne spectatorum animi in rebus minus gravibus detinerentur adtentionemve animi consumerent; ipsam noluisse artem et diligentiam in aliis ponere quam quibus tragoediae vis manifestaretur. sed quid legibus istis nunc opinor nemini non molestis Euripides voluerit, ad arbitrium quivis statuat licet: leges ipsas nosse eum decet qui Euripidem intellegere cupit. sunt autem huiusmodi. aut persona se ipsa nominat, primis plerumque versibus. hoc semper faciunt dei ex machina (sequiturque hunc morem in Philocteta Sophocles)

semper homines deive qui prologum recitant. obstrepit unus Apollo Alcestidis, quem solum ex deis veste manifestari voluit Euripides. Alcestis aetate prima est inter tragoedias nobis servatas. aut ab aliis sive choro sive actoribus antequam vel cum procedit nominatur. chorus uti solet iambis aut, rarius tamen, anapaestis, numquam melicis versibus (quod Sophocles admittit El. 1429. Phil. 202) persaepe etiam cum iterum procedit persona nominatur, in tragoediis ultimis vel per chori anapaestos (Orest. 1013, 1505) aut trochaicos tetrametros non insequente scaena eisdem numeris conscripta (Phoen. 1307. Or. 1549), sed numquam iterum procedens se ipse quisquam nominat.[2]) quae leges tam constanti usu usurpantur, ut singulare videatur, quod apud ceteros tragicos vulgare est, siquando persona non ipso nomine aut non ipso primo versu nominatur. ita Electra in cognomine fabula 60 non ipsius sed matris fratrisque nominibus utitur. Polymestor in Hecuba postquam haud paucos ipse locutus est versus ab Hecuba adpellatur 979. sciebamus et venturum esse Polymestorem et Thracem se dicit 963. similiter in Oresta Helena postquam ex aedibus processit, in quibus eam commorari Electra dixit 60, et nonnulla locuta est ab Electra adpellatur 81. de Phoenissarum Tiresia supra dixi. pauci denique loci corrupti sunt; nam chori verba Macariae procedentis audaciam admirantis intercidisse ante Heracl. 474 lib. II. cap. 4 vidimus; neque intellegi possunt Hermionae prima verba Androm. 147 nisi cum Musgravio chori anapaestos intercidisse statuis, cuius verissimae observationi prorsus absona opponit Hermannus, obsecutus est unus Kirchhoffius. addendus vero tertius locus: Iphig. Taur. 1152 Thoas, cuius nomen post 32 non audivimus, in scaenam prodit. venturum eum esse dixerat Iphigenia 1080, chorus eum ἄναξ adpellat. tamen contra constantem Euripidis usum tanto opere hoc peccat, ut a coniectura non abstineam chori distichon intercidisse. at hercle summa modestia agendum est in suspicione quam non ipsa loci natura sed lex per solam observationem reperta progenuit.

Tandem ad personas sollemnes pervenimus, ex quibus apud Euripidem inveniuntur n u n t i u s Helen. 597 (alius et barbarus

2) Inanis igitur est grammaticorum dubitatio schol. Tr. 709 de Talthybii persona, qui ante nominatus hic iterum procedit. ceterum versus 711 ne spurius sit vereor. certe absurdus est.

ibidem 1513), Suppl. 634, Hercul. 910, Phoen. 1067. enumero enim eos tantum locos quibus non indicata prodit persona. quod enim eadem quamvis veste satis manifestata tamen persaepe describitur contra unum qui vere obstrepat locum nihil facit. memorabile autem quod Euripides nuntium mandata simpliciter referre noluit, sed et addentem facit quid ipse sentiat, (quamquam haec fere dicendi formula est qua longae declamationi sententia in universum dicta quasi apex inponatur) et narrantem quis ipse sit. velut Heraclidarum nuntius Ὕλλου πενέστης est (qua indicatione id quoque efficitur, ut cum Atheniensi nuntio qui paullo ante Macariae mortem descripserat non confundatur), Phoenissarum Eteoclis ὑπασπιστής 1074, in Electra Orestae δορυφόρημα antea se in scaena fuisse dicit, in Supplicibus 639 Capanei servus est, alia similia. servus iuvenis Alc. 747. Bacch. 424, idem nuntius est Ion. 1106. eadem igitur persona duplici munere fungebatur, quod etiam apud scaenicos artifices usu venisse ex Polluce constat. serva iuvenis Alc. 747, Andr. 56, Hec. 656. serva anus eadem atque nutrix Andr. 803, Med. 1. vestis per omnia tempora constans ex vasculis pictis nota est. Hipp. 771 grammatici certabant, cuiusnam vox ex aedibus audiretur. eorum qui de nuntio vel nuntio domestico (quem ignorat Euripides) cogitarunt meminisse taedet. nihil interest utrum serva sit iuvenis an anus; at eadem voce clamores proferuntur quae antea nutricis partes recitavit, i. e. a tertio actore. itaque Athenienses nutricem audiebant. praeconem semper nominat Euripides. peculiaris igitur haec persona ei qui exodum tragoediae Thebanae Aeschyli scripsit. his accedunt in fabula satyrica Silenus satyrique, in tragoedia Hercules Alc. 476 quem Pheraei senes norunt non secus atque spectatores. nimirum praeter clavam ac pellem leoninam certa ei facies erat, quam vascula iam diu ante Alcestidem picta ostendunt. multo magis memorabile quod etiam Thesei certa erat figura. dubitationem non admittunt Hipp. 789, Suppl. 87. clavam Theseo cum monumenta tribuunt tum Euripides Suppl. 717, at una clava non sufficit; docebimur fortasse aliquando adcuratiora a philologo monumentorum quae ego frustra consului peritiore.

Quarti saeculi usum cur non adtigerim non obscurum fore spero.

3.

Sapientibus multa communia esse Aeschylus dixit, si tamen dixit, probavitque sententiam poetarum sapientissimus. est tamen ubi desipientium similis animadvertatur concentus. eadem absurditatis artificia, quibus interpolatores Iliadis Nibelungiadisque divina carmina inquinavere, eadem artificiosa absurditate defendunt boni Homeri bonique Kürnbergeri asseclae. atqui sanae mentis criticum insaniam quae via ac ratione utatur haud ignorasse decet. itaque operam non prorsus inutilem me in eo posuisse credo, ut familiam quasi interpolationum quae per Sophoclis Euripidisque tragoedias pullulavit coniunctim ante oculos ponerem.

Soph. Trach. 84.
οὐκ εἶ ξυνέρξων, ἡνίκ' ἢ σεσῴσμεθα
[ἢ πίπτομεν σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος]
κείνου βίον σώσαντος ἢ οἰχόμεσθ' ἅμα.

del. *Bentley.*

El. 565. ἐροῦ δὲ τὴν κυναγὸν Ἄρτεμιν, τίνος
ποινὰς τὰ πολλὰ πνεύματ' ἔσχ' ἐν Αὐλίδι·
[ἢ 'γὼ φράσω· κείνης γὰρ οὐ θέμις μαθεῖν]

del. *O. Jahn.*

Eur. Andr. 810. πόσιν τρέμουσα, μὴ ἀντὶ τῶν δεδραμένων
ἐκ τῶνδ' ἀτίμως δωμάτων ἀποσταλῇ.
[ἢ κατθάνῃ κτείνουσα τοὺς οὐ χρὴ κτανεῖν]

del. *Cobet.*

Hec. 378. θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος·
[ἢ ζῶν· τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς μέγας πόνος]

del. *Nauck.* El. 308 cf. I. 8.

Hercul. 184. ἐροῦ, τίν' ἄνδρ' ἄριστον ἐγκρίνειαν ἄν·
[ἢ οὐ παῖδα τὸν ἐμὸν ὃν σὺ φῂς εἶναι δοκεῖν]

del. *Herwerden.*

Hercul. 452. εἶεν, τίς ἱερεύς, τίς σφαγεὺς τῶν δυσπότμων;
[ἢ τῆς ταλαίνης τῆς ἐμῆς ψυχῆς φονεύς]

del. *Paley.*

Iphig. Taur. 99. ποτερὰ δωμάτων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς ἂν οὖν μάθοιμεν ἂν
[ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μόχλοις]
ὧν οὐδὲν ἴσμεν.

del. *Dindorf*.

Iph. T. 382. τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
ἥτις βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου
[ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν]
βωμῶν ἀπείργει.

del. *Badham*.

Orest. 51. διοίσει ψῆφον Ἀργείων πόλις
εἰ χρὴ θανεῖν νὼ λευσίμῳ πετρώματι
[ἢ φάσγανον θήξαντ' ἐπ' αὐχένος βαλεῖν]

del. *Nauck*.

Curabant igitur absurdi homines, ne tragici quidquam viderentur omisisse. ficti autem singuli versus diversis temporibus; nam Orest. 51 scholia vetera norunt, Herc. 184 infima barbaries finxit. poteram igitur hisce similia coniungere ubi alia quaevis abesse vel potius addi posse visa sunt male sedulis homuncionibus, ex. gr. Bacch. 209. El. 10. Hercul. 496. Iph. Aul. 92, 974, 1126. Orest. 82. Phoen. 1199, 1282. alia sescenta. sed e toto genere haec una species, quae a particula ἢ incipit, satis magnum, opinor, numerum conplectitur. addam potius eiusdem familiae pauca exempla quae adhuc latuisse videntur.

Iphig. Aul. 995. Clytaemnestra ex Achille quaerit, num Iphigeniam arcessi iubeat

ἀπαρθένευτα μὲν τάδ', εἰ δὲ σοὶ δοκεῖ,
ἥξει δι' αἰδοῦς ὄμμ' ἔχουσ' ἐλεύθερον.
[ἢ μὴ παρούσης ταὐτὰ τεύξομαι σέθεν.]

interrogandi signo versum spurium tolerabilem reddi cum Heathio fere credunt, obstrepit vero Clytaemnestrae et poetae consilio. qui ita interrogaret, Iphigeniam venire nollet. quod si nollet Clytaemnestra omnino nullam eius rei mentionem fecisset, quoniam Achilles salutem iam antea ei promisit; atqui gaudebat Euripides moribus *μαστρωποῖς* Clytaemnestrae, quae formosam sponsam cupidini Achillis praetendit, (cf. Hecub. 825 cum schol.) et virginali pudore Achillis. ergo contra ipsius animum fecisse non putandus est.

Med. 246. deplorat mulierum infelici matrimonio vexatarum miserias.

ἀνὴρ δ' ὅταν τοῖς ἔνδον ἄχθηται ξυνών,
ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίαν ἄσης·

[ἢ πρὸς φίλον τιν' ἢ πρὸς ἥλικα τραπείς]
ἡμῖν δ' ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν.

eieci versum in quinto pede claudicantem. quod vitium et Porsonus et diu ante eum scriba codicis Haviensis, strenuus nec indoctus interpolator, coniectura ἥλικας sustulisse sibi visi sunt. perperam illi quidem, cum orationem ex concinna redderent inconcinnam. at inutilis non solum ille versus sed plane ineptus. amicae enim aequalesque etiam mulieri sunt; Medea viros ἄσην παύειν in pelicibus dicit. quod et doctissimos correctores et indocti interpolatoris pudicitiam fugit. scholiasta 244 (Dind. IV. 24. 18), ὅταν τι τῶν κατ' οἰκίαν λυπῇ προελθών που παρεμυθήσατο, veram interpretationem non adsecutus est: spurium versum nondum legit.

Cycl. 202. cui iam supra obelum praefixi. Ulixes Cyclope superveniente a Sileno fugere iussus haec loquitur:

οὐ δῆτ', ἐπεί τἂν μεγάλα γ' ἡ Τροία στένοι,
εἰ φευξόμεσθ' ἕν' ἄνδρα, μυρίον δ' ὄχλον
Φρυγῶν ὑπέστην πολλάκις σὺν ἀσπίδι·
ἀλλ' εἰ θανεῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς.
[ἢ ζῶντες αἶνον τὸν πάρος εὖ σώσομεν.]

antequam foedum vitium tolleretur, quaerendum erat num omnino versus haud dubie inutilis ferri posset. at hercle qui unum hominem fugere non vult quia multa milia superavit victoriae spem multo fortius pronuntiat. ac vellem docuissent male seduli correctores superstitem graece ζῶντα dici. omnino languidi et elumbes versiculi contra artem corriguntur potius quam eiciuntur. facile credimus hodie quemvis mediocriter doctum meliores pangere versus quam Byzantinos, sed eo magis stupor eorum intactus est relinquendus, modo ne Euripides languoris insimuletur. tamen in hanc partem non raro hodie peccari et in libro primo aliquot exemplis probavi et addam hoc loco quae nova ac scitu digna videantur.

Hercules postquam ex vesania experrexit caedem ac ruinas miratus quaerit, num forte ad inferos iterum descenderit. indicet sibi quisquis prope adstet ubi sit

1108 σαφῶς γὰρ οὐδὲν οἶδα τῶν εἰωθότων.

nihil soliti scio nihili est, aut *nihil de eis quae mihi acciderint scio* dicendum erat (satis languide) aut *nihil soliti video*. atqui

id ipsum scriptor versiculi dixit, non οἶδα sed εἶδα aut scripsit aut scribere voluit, forma plebeia sed valde antiqua.

Ion 632

οὐ φιλῶ ψόγους κλύειν
ἐν χερσὶ σῴζων ὄλβον οὐδ' ἔχειν πόνους
[εἴη γ' ἐμοὶ μέτρια μὴ λυπουμένῳ]
ἃ δ' ἐνθάδ' εἶχον ἀγάθ' ἄκουσόν μου, πάτερ,
τὴν φιλτάτην μὲν πρῶτον ἀνθρώποις σχολὴν κτἑ.

Byzantinae tantum auri suavem versum frustra corrigunt. qui non solum orationis placidum cursum interrumpit sed etiam falsam vim vocabulo πόνους tribuit. interpolator enim curas intellegit, Euripides negotia voluerat, quoniam σχολήν opposuit.

Longe memorabilius exemplum iambi Byzantini in canticum intrusi copiosa disputatione demonstrabo, si mihi contigerit ut totum canticum perpoliam, quod post novam demum conlationem recte potest fieri. digito tamen monstrabo versum ipsum Bacch. 593

Διόνυσος ἀλαλάζεται στέγης ἔσω.

Sed mirum esset nisi aliquotiens Byzantinis contigisset ut versum non claudum facerent (quamquam claudorum turba non parva est); longe autem absumus ab eo fine, quem attingi posse credo, ut noviciis interpolationibus liberemus Euripidis fabulas: nam ab antiquissimis emblematis umquam eum purgatum iri sperare non licet. sed non raro adhuc evenit ut infimae barbariei fetus tamquam florentissimi poetae propago circumferatur. ecce aliquot exempla, ut puto, manifesta.

Andr. 273

δεινὸν δ' ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων
ἄκη βροτοῖσι θεῶν καταστῆσαί τινα·
ἃ δ' ἔστ' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω
οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξηύρηκέ πω,
[κακῆς· τοσοῦτόν ἐσμεν ἀνθρώποις κακόν]

ignoravit scholiasta.

Andr. 937

κἀγὼ κλύουσα τούσδε Σειρήνων λόγους
[σοφῶν πανούργων ποικίλων λαλημάτων]
ἐξηνεμώθην μωρίᾳ.

scholion Byzantinis numeris conscriptum.

Bacch. 847.

ΠΕ. *στείχοιμ' ἄν· ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι*
ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.

Byzantinus magister: *ἥξει δὲ Βάκχας οὗ θανὼν δώσει δίκην.*

ΔΙ. *γυναῖκες, ἀνὴρ ἐς βόλον καθίσταται·*
Διόνυσε νῦν σὸν ἔργον, οὐ γὰρ εἶ πρόσω,
τισώμεθ' αὐτόν.

Byzantini sapientiam traiecto versu Baccho tradere quam *ἦθος* artemque tragicam respicere malunt.

Iphig. Aul. 901.

ΚΛΥ. *οὐκ ἐπαιδεσθησόμεσθα προσπεσεῖν τὸ σὸν γόνυ·*
[θνητὸς ἐκ θεᾶς γεγῶτα· τί γὰρ ἐγὼ σεμνύνομαι]
περὶ τίνος σπουδαστέον μοι μᾶλλον ἢ τέκνου πέρι.

putabam mortalem esse Achillem quoque. quamquam antiqua est interpolatio, nam Byzantini trochaeos ignorant, ignorant pedes trisyllabos.

Ion. 581.

ἐς τὰς Ἀθήνας στεῖχε κοινόφρων πατρί,
οὗ σ' ὄλβιον μὲν σκῆπτρον ἀναμένει πατρός, (?)
πολὺς δὲ πλοῦτος, οὐδὲ θἄτερον νόσοιν
δυοῖν κεκλήσει δυσγενὴς πένης θ' ἅμα.
[ἀλλ' εὐγενής τε καὶ πολυκτήμων βίου]

δὶς ταὐτὸν ἡμῖν ὁ σοφός· sed defetigati sumus conquirendis ineptiis; paullo maiora canamus.

4.

Idoneus auctor, Aristophanes Byzantius, Euripidem in Coronifero Hippolyto emendasse tradit quae in Velato turpia et crimini obnoxia commiserat. cum per diserta testimonia tum ex Ovidii Senecaeque imitationibus constat, turpia illa in Phaedrae moribus posita fuisse, quae in Velato non solum prona ad incestum sed omni pudore destituta inducebatur adeo ut furta sua mariti exemplo excusaret (Plut. quom. adul. poet. aud. 8. p. 28. Ovid. epist. 4, 110. Senec. Phaed. 98). quin etiam priscis deorum fabulis abutebatur, non solum Iovis Iunonisque matrimonio, sed recondita fabella, quae cum omnino tum in Atheniensi saeculi quinti

poeta valde memorabilis est, qua Amor Iovis Venerisque filius dicebatur; nimirum quod patri in filiam novercae in privignum licere. non dubito enim quamvis primus hoc ad Velatum referre. scribit apud Ovidium Phaedra:

> Iuppiter esse pium statuit quodcumque iuvaret,
> et fas omne facit fratre marita soror.
> 135 illa coit firma generis iunctura catena,
> inposuit nodos cui Venus ipsa suos.

quae languidissima sunt nisi illius de Amoris generatione fabulae reminisceris. cuius inde a Musgravio tria adferri solent testimonia. primum Lactantii, i. e. enchiridii mythologici, cuius notitia nescio quo rivulo ad Lactantium devenit. alterum poetae Ovidio aequalis sed abstrusa doctrina pueriliter gestientis, Ciris vs. 134, at tertium Euripidis est, Euripidisque in Hippolyto coronifero 526. scitu dignum est, turpia ab Euripide non abiecta omnino esse, cum displicuissent, sed ita immutata et eo loco conlocata, ut laedere pudorem non possent. nec vero intellegeretur cur Athenienses turpitudines Hippolyti abhorruissent, si nihil gravius continuisset quam quod Phaedra amori indulgeret aut Hippolytum corrumpere studeret: ab hoc enim ne Sophocles quidem, quem castissimum praedicant, abstinuit.

Mutati sunt in honestatem Phaedrae mores in Coronifero. at quatenus? si praestantissimum quemque audis qui inde a Schlegelio de Hippolyto disputavit (plebs enim tales quaestiones neglegere solet), insons est Phaedra, convenit ei cum nutrice, ut medicamento amorem pectore suo expellat, decipitur a nutrice, perit. qui contra hanc sententiam disputaverit neminem novi. tamen res difficillima est, nec dirimi potest, nisi adcurate examinata scaena ea quae nutricis cum Hippolyto conloquium praecedit; quibus enim praeterea Phaedrae sive crimen sive error significatur, ambigua sunt. Venus eam *εὐκλεῶς* morituram esse praedicit 47, quod Phaedra negat 687. Diana *τρόπον τινὰ γενναιότητα* ei adtribuit 1300. Phaedrae ipsius verba quae nutrice ab Hippolyto repudiata canit 670 misere corrupta sunt, integra legit scholiasta I. 154, 4. *πῶς καθ' ἕκαστον δεσμὸν κατηγορίας ἀπολυσόμεθα τὰ ἐγκλήματα τοῦ Ἱππολύτου σφαλεῖσαι τῆς ἐλπίδος, δι' ἧς προσεδοκῶμεν πεῖσαι αὐτὸν ἐπὶ τὴν ἁμαρτίαν.* chorus paullo infra dicit

φεῦ φεῦ, πέπρακται, κοὐ κατώρθωνται τέχναι,
δέσποινα, τῆς σῆς προσπόλου, κακῶς δ' ἔχει.

cum nutrix eo audaciae processit, ut se gratissimum Phaedrae facturam fuisse diceret, si Hippolytus consensisset, Phaedra non infitiatur tale crimen, sed deprecans potius quam obiurgans sic fatur 701

ἦ γὰρ δίκαια ταῦτα κἀξαρκοῦντά μοι
τρώσασαν ἡμᾶς εἶτα — ἐκ τῶν ἴσων ἀμφισβητεῖν

ita scholiasta, qui non legit quod codices praebent sensu cassum *συγχωρεῖν λόγοις.* haec omnia ambigua esse dixi: melius convenire Phaedrae gravioris culpae consciae quam a nutrice deceptae nemo non sentit. sed non potest summa tragoediae ambigue a poeta exposita esse. agedum perlustremus scaenam praecedentem, quod si cui copiosius fecisse videbimur, reputet velim, praestantissimam personam praestantissimae tragoediae agi, nec ut intellegas quid tragicus poeta voluerit satis esse grammaticam.

Phaedra postquam per nutricis artes permota est ut a silentio quo scelestum amorem condere voluerat descisceret, choro quaecumque contra libidinem temptavit ex ordine narrat. egregio id ab Euripide institutum est artificio. donec id quod unicum animo volvebat occuleret, vix vocis conpos erat: semel fassa longum ac bene dispositum de virtute et vitio habet *περίπατον*; de linguae perfidia queritur, quam modo ipsa experta est; adulteras execratur, quae quominus in earum numerum descendat vix se continet; crimen semel commissum nec tegi posse nec absolvi declamitat, quae crimen detexit. num eidem fidem habemus, cum *ψυχρὰ ἐν θερμοῖσι* de morte cogitat? abrumpens tandem orationem utinam ne umquam in inpudicis habeatur optat. at voluntatis firmitate non optandi pietate opus est contra cupidinem, raroque possidemus de qua multi sumus virtutem. ubi Aiax tranquille Hamletus audacter Tassus circumspecte se acturos esse multis promittunt, nequaquam credimus ingenia eorum subito immutata esse: *περιπέτειαν* adpropinquare sentimus. itaque Phaedram quoque quamvis virtutis amantem instante praesertim nutricis astutia libidini manus mox daturam esse praesagimus. cur denique divinam illam scaenam, qua Phaedra amore saucia nomen eius quem deperit fatetur, in Hippolyti fabulam admisit Euripides, nisi ut proponeret, quomodo mulier contra amoris violentiam parum fortis pedetemptim et quasi per gradus ad

atrox facinus delaberetur? occulere voluit amorem: confessa est. resistere vult amori — si resistentem facit Euripides, sibi ipse obstrepit.

Postquam chorus, perpetuum illud artis tragicae apud Euripidem impedimentum, pudicitiam satis frigido praeconio ornavit, nutrix Phaedrae non minus egregia respondet oratione. sine causa se confusam esse, cum Phaedrae amorem primum audiret (finxerat illam confusionem. sed nequeo nutricis mores simul cum Phaedra exponere; interpretes nihil viderunt). nihil enim insoliti Phaedram passam esse, reluctantibus tantum amorem graviter incumbere. nec fas esse eum deum sperni qui non solum per omnia animalium genera regnet, sed deos quoque sibi subiecerit eosque minime invitos. deorum igitur exemplum esse sequendum et inter mortales prudentissimi cuiusque, qui parum honesta non in lucem protrahat sed tacite condonet. absolutam et perfectam virtutem pro huius generis imbecillitate nullam esse, ut plus boni quam mali fecisse laus non ultima sit. vides ut nequitia lento brachio honestatem ad scelus declinet. tandem satis praefata quid Phaedram facere iubeat claris et distinctis verbis indicat:

> ἀλλ' ὦ φίλη παῖ, λῆγε μὲν κακῶν φρενῶν
> λῆξον δ' ὑβρίζουσ'· οὐ γὰρ ἄλλο πλὴν ὕβρις
> τάδ' ἐστὶ κρείσσω δαιμόνων εἶναι θέλειν·
> τόλμα δ' ἐρῶσα, θεὸς ἐβουλήθη τάδε.

perfecit orationem. nec quid addatur est, nec ferret Phaedra plura in hanc sententiam disputantem. in eo quod post copiosissimam orationem consilium ipsum paucis conprehendit, quod *ἀσυνδέτως* consilii rationem addit, rhetorici poetae artificium spectatur, qui leniter plerumque profluentem sermonem colore quodam velut sententia in universum dicta concludit, occasionem vero non neglegit, siquando abrupto sermone animos audientium gravius permovere potest. nec casui tribuendum est quod Phaedrae qui praecedit sermo eodem modo abruptus est.

Aliter visum librariis et editoribus. secuntur enim tamquam nutricis verba

> νοσοῦσα δ' εὖ πως τὴν νόσον καταστρέφου·
> εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι,
> φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου·
> ἦ τἄρ' ἂν ὀψέ γ' ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν,
> εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν.

qui hisce in verbis remedia amorem conpescentia intellegunt, delirare faciunt Euripidem. sed ne vera quidem interpretatio huic loco convenit. *quoniam amasti, amorem quam optime potes ad finem perduc; quod aut philtris aut alia quapiam via efficere potes.* quid? quae paullo infra extremam audaciam a Phaedrae pudicitia flagitat, eamne probabile est iam antea aliam et minus turpem viam ei monstrare? quam misera porro scriptoris, ne poetam dicam, ars, qui quasi in transcursu utque nihil inde sequatur eisdem abutitur, in quibus mox tragoedia quasi in cardine vertetur. sed ut non sufficiat a nutrice commemorari quibus uti non vult: nec chorus nec Phaedra verba illa audit. tollendi igitur quinque versus hoc loco; cum vero haud dubie Euripidei sint, ea demum coniectura locum persanasse censenda erit, quae disiectum membrum suo loco restituerit.

Nutrix Phaedram amare iussit. cuius honestatem inutilibus laudibus extollit chorus, utiliora esse nutricis praecepta non infitiatus. nondum desiit Phaedra in universum disputare; tumido ore queritur res publicas privatasque nimis dulcibus verbis pessum dari. hocine firmum animum sapit? aliter sentit nutrix, quae tandem incesta consilia incestis verbis proponere audet. patefaciendum esse Hippolyto Phaedrae amorem, neque enim opprobrio esse vertendum, quo vita eius unice possit servari. hoc nimium est. effervescit Phaedrae ira, vetat nutricem turpia iterum proferre. profert illa iterum, ridetque acerbe miseram, cui inter scelus tantum et mortem optio relicta est. quid Phaedra? ab irae caloribus ad flebiles preces delabitur, concedit bona esse nutricis consilia, sed turpia. tamen si illa tam bene defendere pergat turpia, facere se non posse, quin eis quae nunc fugiat se perimi patiatur. apud omnes omnium gentium tragicos non novi quod hanc scaenam praestantia vincat. at aeque divinae me commonefacit, qua Mephistopheles Faustum a quiete, quam in rupibus ac desertis recuperasse sibi videbatur, ad flagitium pellicit. Faustus quoque et ira et precibus contra lenonem pugnat. scimus quid proficiat. nutrix quoque fatua esset, si certam victoriam e manibus elabi pateretur. secundum codices et editores ita pergit

507 *εἴ τοι δοκεῖ σοι, χρῆν μὲν οὔ σ' ἁμαρτάνειν,*
εἰ δ' οὖν, πιθοῦ μοι, δευτέρα γὰρ ἡ χάρις·
ἔστιν κατ' οἴκους φίλτρα κτέ.

εἰ δ' οὖν idem valere atque *ἐπεὶ δ' οὖν* frustra adfirmant. *ἥμαρτες* ad *εἰ δ' οὖν* suppleri posse non probarunt. supplendum esset id quod prius *εἰ* sequitur; quod sane nihili est. hiat igitur sententia. *δευτέρα γὰρ ἡ χάρις hoc alterum est, quod tibi gratum facio,* vel *quod mihi gratum facis* Graecum non est, esset *ἥδε δευτέρα χάρις*. hoc recte intellexit scholiastarum is qui *δευτέρα* per *ἐλάττων* explicavit. hiat igitur iterum sententia. inerat in lacuna primum apodosis enuntiati 507, deinde de aliquo quod nutrix gratum aut faceret aut acciperet, disputabatur; quod illa oboedientia Phaedrae minus esse dicit. adcuratiora conici non possunt. iam enim longe alia aguntur. mentitur nutrix, domi sibi esse philtra quibus Phaedra sine honestatis aut salutis detrimento a malo liberari possit, modo ne timida sit. anxia quaerit Phaedra, qualia philtra illa sint. nutrix victoriae certa ambigue respondet. instat Phaedra tandemque suspicionem fatetur, num forte nutrix (id quod factura est) Hippolytum adire velit. illa non negat hoc, sed tacere Phaedram iubet; modo sibi opituletur *δέσποινα ποντία Κύπρις* (quam eisdem verbis Phaedra iuraverat ubi adulteras deprecabatur. praeclara ironia interpretes latuit), se rem bene gesturam, indicatam amicis qui intra aedes sint. lenam abire patitur Phaedra. chorus futura praesagiens Amoris tyrannida canit fatalemque eius vim exemplis inlustrat.

Non minus egregia haec scaenae pars est quam quae lacunam praecedit. sed inanis est, si interpretes verum dixerunt, si Phaedra *μύστρα* a nutrice arcessi credit. ambigua quidem verba sunt 509 sqq.; at ambigue loqui lenae est, nec ambigua secuntur. quae nutricem per Venerem iurare patitur, amori non valedixit. quae talibus responsis adquiescit resistendi voluntatem simulat, non tenet. nihil expectare potest nisi nutricem ad Hippolytum recta contendere, vel potius (loquimur enim de muliere diversissimis adfectibus perturbata) verum suspicatur, at veretur credere se iam in earum numero esse, quas tam graviter detestata est; resurgit spes, verum dixisse nutricem, sanatum se iri (i. e. amore potituram esse) sine famae detrimento: ita tremebunda ad ostium defixa manet, dum chorus cantat, coquitur duplici dubitatione, et aditurane sit nutrix Hippolytum necne, et si adierit quid responsurus sit. mox auscultatur, quam crudeli acerbitate Hippolytus virtute sua superbiens scelestam mulierem repudiet. (illum super-

biae poena non deserit, hac in re veri non nihil vidit Hartungus) nec iam locus est trepidationi: locus uni est morti.

Adumbravi haec, ne lateat quam bene inter se cohaereant. et vix abstineo quominus de tragoediae dispositione parum intellecta, de Euripidis arte et consilio multus fiam. at officeret causae nostrae, intellegentique Euripidis lectori summam digito monstrasse satis erit. videamus nunc, quomodo perspecta re gravissima praecedentia restituenda sint. ordiendum autem a tribus versibus, quos in codicibus post 512 lectos supra omisimus.

δεῖ δ' ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ ποθουμένου
σημεῖον, ἢ λόγον τιν' ἢ πέπλων ἄπο
λαβεῖν συνάψαι τ' ἐκ δυοῖν μίαν χάριν.

persuasit omnibus Nauckius, hos versus loco suo movendos esse: spurios esse mihi non persuasit. primum enim vs. 514 Reiskii coniectura πλόκον concedenda etiam interpolatori tam veteri esset. quod vero Nauckius incantamenta illa restituendo tantum non excitando amori apta putat, non praescribimus terminos superstitioni. ποθούμενος vocabulum nunc mirum esse concedo, Phaedrae convenire vix potest negari. ultimum versum qui de mutuo Phaedrae Hippolytique amore interpretati sunt, peccasse scio. non peccavit quicumque hoc scripsit, voluit enim simile quiddam Sophoclis hisce versibus Trach. 619

ἔπειθ' ὅπως ἂν ἡ χάρις κείνου τέ σοι
κἀμοῦ ξυνελθοῦσ' ἐξ ἁπλῆς διπλῆ φανῇ

συνάπτειν vocabulum in deliciis est Euripidi; bene huc facit Suppl. 1014. denique quod maxime offendit, id Euripideam versuum originem maxime adfirmat, πέπλων ἄπο. nam eodem modo in Cyclope locutus est 357

ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ ἀνθρακιᾶς ἄπο χναύειν

elixis et assatis tertium coquendi genus additur quod quomodo Romani vocaverint nescio, Itali *ai ferri* dicunt.[1]) vel similius Hippolyti loco alter est Bacch. 1049

τά τ' ἐκ ποδῶν σιγηλὰ καὶ γλώσσης ἄπο | σῴζοντες

---

1) Non evertitur hoc exemplum etiam si cum Hermanno post ἄπο θερμά additur. at coniectura illa parum probabilis. Helen. 816 codex praebet ὠνητὸς ἢ τολμητὸς ἢ λόγων ὕπο. corrige ἄπο. cf. etiam Hermann. ad Andr. 190.

estne probabile in locutione insolita interpolatori cum Euripide convenire? accedit, quod nullo modo perspicitur, quid interpolator illis versibus illo loco positis voluerit. cautius igitur facimus qui Euripidis verba suo loco mota credimus, eodem iudicio quo supra vs. 476—481 suo loco restituendos sustulimus. etiam lacunam invenimus. quid si disiectis illis membris repletur? num forte Euripide haec digna? Phaedra paene victa quia indecora potius quam quia inhonesta sunt nutricis reicit proposita. quam cum nutrix intellexit specie turpitudinis potissimum absterreri involucrum paullo speciosius circumspicit; dubia etiamnunc philtrorum mentionem inicit. tum Phaedrae spes subito effulgescit, fieri posse ut Hippolytus incantamentis fascinatus primus amorem sibi afferat. amantis mulieris animo momentum temporis sufficit, ut omnia quae fieri possint cogitatione pervolet. *per philtra servari possum,* cogitat, *Hippolytus amorem mihi prior inferre videbitur; tamen in eo difficultas inest, quod ad fascinationem signo aliquo adulescentis quem depereo opus est.* hoc non tam ad nutricem ait quam insperata salutis facultate exultans alta voce cogitat. nutrix non praetermittit occasionem, qua titubantem plane profliget. simulat praesto sibi esse philtra, ut ista quam Phaedra metuit praeparatione non opus sit. sentit fraudem Phaedra, resistit, infracta tamen firmitate, tandem superata amore circumventa lenae fallaciis quidquid illa constituit fieri sinit. mihi haec apta videntur; sed nolo fusius id persequi, ne nimis videar mihi ipse placere. iudicent intellegentes ac benevoli existimatores ex ipsis Euripidis versibus

	ΦΑΙ.	*τοῦτ' ἔσθ' ὁ θνητῶν εὖ πόλεις οἰκουμένας*
		οἴκους τ' ἀπόλλυσ', οἱ καλοὶ λίαν λόγοι.
		οὐ γάρ τὰ τοῖσιν ὠσὶ τερπνὰ δεῖ λέγειν,
		ἀλλ' ἐξ ὅτου τις εὐκλεὴς γενήσεται.
490	*ΤΡ.*	*τί σεμνομυθεῖς; οὐ λόγων εὐσχημόνων*
		δεῖ σ', ἀλλὰ τἀνδρὸς ὡς τάχος διιστέον

491 vix sanus hic versus, quamquam Nauckius et ante eum scholiastarum plerique post *τἀνδρός* non interpungunt rectissime. *διοιστέον* quod meliores codices praebent merum errorem esse scholia docent, nec quidquam eruas ex evanida Marciani lectione *ὡς... ..ὸς διοιστέον.* hoc enim mihi videbatur primitus habuisse. est autem per hanc Hippolyti partem indocta manu interpolatus cf. 503. 518. 525.

τὸν εὐθὺν ἐξειπόντας ἀμφί σου λόγον.
εἰ μὲν γὰρ ἦν σοι μὴ ἐπὶ συμφοραῖς βίος
495 τοιαῖσδε, σώφρων δ' οὖσ' ἐτύγχανες γυνή,
οὐκ ἄν ποτ' εὔνους οὕνεχ' ἡδονῆς γε σῆς
προῆγον ἄν σε δεῦρο, νῦν δ' ἀγὼν μέγας
σῶσαι βίον σόν· κοὐκ ἐπίφθονον τόδε.
ΦΑΙ. ὦ δεινὰ λέξασ', οὐχὶ συγκλήσεις στόμα
καὶ μὴ μεθήσεις αὖθις αἰσχίστους λόγους;
500 ΤΡ. αἴσχρ', ἀλλ' ἀμείνω τῶν καλῶν τάδ' ἐστί σοι·
κρεῖσσον δὲ τοὔργον εἴπερ ἐκσώσει γέ σε
ἢ τοὔνομ' ᾧ σὺ κατθανεῖ γαυρουμένη.
ΦΑΙ. καὶ μή σε πρὸς θεῶν, εὖ λέγεις γὰρ αἰσχρὰ δέ,
~~505~~ πέρα προβῇς τῶνδ'· ὡς ὑπείργασμαι μὲν οὐ
505 ψυχὴν ἔρωτι, τἀσχρὰ δ' ἢν λέγῃς καλῶς,
ἐς τοῦθ' ὃ φεύγω νῦν ἀναλωθήσομαι.
507 ΤΡ. εἴ τοι δοκεῖ σοι, χρῆν μὲν οὔ σ' ἁμαρτάνειν,
477 νοσοῦσα δ' εὖ πως τὴν νόσον καταστρέφου·
εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι,
φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου.
ἦ τἄρ' ἂν ὀψέ γ' ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν,
481 εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν.
513 ΦΑΙ. δεῖ σ' ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ ποθουμένου
σημεῖον, ἢ πλόκον τίν' ἢ πέπλων ἄπο,

---

494 non sine specie veri hunc versum delevit Nauckius, sine specie veri sequentem. offendit Phaedram a nutrice *σωφροσύνης* expertem dici, ac sane immane foret si *pudici* vel *honesti* notio ei subesset. at negat nutrix Phaedram *mentis conpotem* esse, quod aptissimum est. ceterum nisi aures me fallunt, sine hoc versu numeri abrupti sunt. sermo abruptus est si cum Nauckio eiecto etiam 495 traditum *προσῆγον ἄν*, quod ut supra exhibui Scaliger correxit, in *πῶς ἦγον ἄν* mutamus. nec conveniret *ἤθει* interrogatio. at sane *οὐκ ἄν ποτ' εὐνῆς οὕνεχ' ἡδονῆς τε σῆς* quod codices praebent ferri nequit. oportet restringatur voluptatis mentio, quae ad eum quo flagrat Phaedra amorem non potest pertinere; *εὐνή* et *ἡδονή* coniungi nequeunt. videor igitur mihi certum repperisse. certe commendatione non indiget *εὔνους*.

503 mutant *καί* in orationis initio positum. Ion 361 *καὶ μή μ' ἐπ' οἶκτον ἔξαγε*, rursus corrigunt. sed excitatissimae orationi egregie convenit. ceterum inutilium mutationum turbam in medio reliquisse praestat.

504 in fine traditum *εὖ* iam Bothius emendaverat, in eandem coniecturam Nauckius incidit, quod non impedit quin nova et absurda temptentur.

515 λαβεῖν συνάψαι τ' ἐκ δυοῖν μίαν χάριν.
508 ΤΡΟ. εἶεν· πιθοῦ μοι, δευτέρα γὰρ ἡ χάρις,
ἔστιν κατ' οἴκους φίλτρα μοι θελκτήρια
ἔρωτος, ἦλθε δ' ἄρτι μοι φρενῶν ἔσω,
ἅ σ' οὔτ' ἐπ' αἰσχροῖς οὔτ' ἐπὶ βλάβῃ φρενῶν
512 παύσει νόσου τῆσδ', ἢν σὺ μὴ γένῃ κακή.
516 ΦΑΙ. πότερα δὲ χριστὸν ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον;
ΤΡ. οὐκ οἶδ'· ὀνάσθαι μὴ μαθεῖν βούλου, τέκνον.
ΦΑΙ. δέδοιχ' ὅπως μοι μὴ λίαν φανῇς σοφή.
ΤΡ. πάντ' ἂν φοβηθεῖσ' ἴσθι· δειμαίνεις δὲ τί;
520 ΦΑΙ. μή μοί τι Θησέως τῶνδε μηνύσῃς τόκῳ.
ΤΡ. ἔασον, ὦ παῖ, ταῦτ' ἐγὼ θήσω καλῶς·
μόνον σύ μοι, δέσποινα ποντία Κύπρι,
ξυνεργὸς εἴης· τἄλλα δ' οἷ' ἐγὼ φρονῶ
τοῖς ἔνδον ἡμῖν ἀρκέσει λέξαι φίλοις.

Ut versibus traiciendis locus fieret, bis scripturam mutavi. 513 *δεῖ δ'* 508 *εἰ δ' οὖν* codices praebent. at quisquis gravibus rebus adsensum non negavit in hisce minutulis mutationibus non haerebit. nolit autem quisquam facilem aut similibus casibus commendatam sibi fingere integrae scaenae, ut persuasum habeo, restitutionem. difficillima est et apud Euripidem certe unica. quanta enim molimur? contendimus summa ingenia sescentiens Hippolytum legisse difficultatibus, quibus nos ad tam temeraria conamina adducti sumus, non perspectis, non recentes modo grammaticos sed ipsum Aristarchum. contendimus multa hominum saecula Phaedrae insano amore delectatos esse, sive in theatro spectarunt artifices Dionysios sive in cubiculo Atticiana evolverunt exemplaria, neque tamen Euripidis Phaedram admiratos esse. quando tam mira perpessa est Euripidis tragoedia? ante Lycurgum opinor. nec tamen superfuit ullum quod labe tam foeda immune esset exemplum? nemo umquam quaerentibus respondebit. philologorum ultima ratio iudicium. quidquid incorruptae menti indefessae sollertiae verum visum est, id amplectendum, in origine falsi non haerendum est. nam una est veritas, falsa innumerabilia. tamen quantum audeamus ne obliviscamur cavendum est, ne in eorum numerum deveniamus, qui cotidie multo audaciora proferunt, de probabilitate, quid dico, de veritate securi. non abiectum istuc genus dico qui palam profitentur, non interesse verane coniectura sit an falsa, non enim veri-

tatem finem esse artis nostrae sed via ac ratione exculti ingenii lusum, sed furit adhuc (quamquam pristinus ardor paullo deferbuit) Pythagoristarum insania. consuevi enim Aristophonteo nomine gentem istam significare, qui *τῆς εὐτελείας πρόφασιν εὑρόντες καλήν* cum intellegere veterum carmina non valerent nedum emendare, peculiare sibi traditum esse opinantur aurium genus, quo caelestem *ἁρμονίαν* in numeris versuum non intellectorum audiant. spero id saltem cuivis apertum fore, me non esse tam auritum.

Una vero ex parte non nihil probabilitatis adcrescit coniecturae meae. conpluribus enim locis animadversa est in Hippolyto versuum perturbatio, quo corruptelarum genere Medea, si recte memini, tota est immunis, etsi proximum in sylloga obtinet locum. nam in ea oratione, quae inde a vs. 720 est, in ordine nihil esse peccatum sed potius vss. 725—28 delendam esse vetustam dittographiam perspexit Kirchhoffius. contra in Hippolyto interpolationes sunt rarissimae, ac vix unum alterumve eius libidinis exemplum, qua Medea prope obruta est, ut eidem versus bis terque repeterentur. lubet autem conponere Hippolyti locos qui ordine mutato restituti sunt.

213. 214 et 223. 225—227 inter se permutavit O. Jahnius; vel potius quae ille recte observavit probabilia redduntur si integros nutricis sermones traicimus; hiatum enim qui ita nascitur *ἐν χερσὶ βέλος. ΤΡ. ὦ παῖ* satis excusatum puto. vs. 224 vero, qui Dindorfio suspectus erat, delendus est, fictus nimirum a correctore qui aliquo modo 223—227 cum eis quae proxime praecedere viderat conectebat.

330 et 332 permutavit H. Hirzelius. antiqua autem corruptela, quippe quae pravam lectionem *ἐσθλῶν αἰσχρά* 331 pepererit et pluribus et melioribus libris traditam.

911 post 913 traiecit Marklandus. namque *γάρ* vs. 912 ad 910, nullo modo ad 911 spectat. ceterum *δ'* post *σιωπῆς* 911 delendum est cum Vaticano. omitti particulam ex Havniensi tantum enotatum erat. de Vaticano ego testor.

1046 post 1048 posuit Weilius eximio acumine. intellegimus ita genuinum esse 1029 spurios 1049. 50, interpolationisque origo patet. traiecit Weilius etiam 875 post 876.

ΘΗ. οἴμοι, τόδ' οἷον ἄλλο πρὸς κακοῖς κακόν,
875 *οὐ τλητὸν οὐδὲ λεκτόν, ὦ τάλας ἐγώ.*

876 *ΧΟ.* *τί χρῆμα; λέξον εἴ τί μοι λόγου μέτα.*
ΘΗ. *βοᾶ βοᾶ δέλτος ἄλαστα κ. τ. ἑ.*

libentissime Weilio concedo nihil inter 874 et 876 intrudi posse, at ipse Theseum paene ridiculum reddit, qui narrari posse quae legerit negat, deinde narrat. confictus est 875 ab histrionibus ex vs. 846 *οἷον εἶδον ἄλγος ἐν δόμοις οὐ τλητὸν οὐδὲ ῥητόν.* grassati sunt histriones paullo ante 871—873 teste scholiasta.

1452 sqq. traiciendo non sanati quidem sunt sed sanandi. scripsit enim Euripides (caede absolvit Hippolytus Theseum)

1452 *ΘΗ.* *ὦ φίλταθ', ὡς γενναῖος ἐκφαίνει πατρί.*
1455 *ΙΠ.* *τοιῶνδε παίδων γνησίων εὔχου τυχεῖν.*
1454 *ΘΗ.* *ὤμοι φρενὸς σῆς εὐσεβοῦς τε κἀγαθῆς.*
1453 *ΙΠ.* *ὦ χαῖρε καὶ σύ, χαῖρε πολλά μοι, πάτερ.*
1456 *ΘΗ.* *μή νυν προδῷς με, τέκνον, ἀλλὰ καρτέρει.*
ΙΠ. *κεκαρτέρηται τἀμά.*

ita dispositis verbis 1455 bene suppletur *γενναῖος*, laudat Theseus iterum probitatem Hippolyti, quia spurius filius novercae infestissimae filiis fausta precatur. iam Hippolytus mortem supervenire sentit, valere iubet patrem, qui frustra ne se deserat rogat, moritur Hippolytus. in tradito ordine cum alia absurda sunt, tum Hippolyto mortem sibi instare significanti plaudit pater, filius ita laudatus paullulum reviviscit. sed hoc opinor facillime intellegitur. at intactum reliqui 1453 *ὦ χαῖρε καὶ σὺ χαῖρε πολλά μοι, πάτερ,* ubi quisquis Euripidis emendationi studet coniecturam periclitatur. *vale et tu* ubi supplendum est *ego valeo* ferri non posse clamant. comminiscuntur cum alia portentosa tum intercidisse distichon ante hunc versum. ergo prior filium valere iussit Theseus. tamen haud raro simili breviloquentia locuti sunt Graeci. persōnatus Plato, scriptor minime contemnendus epist. IX. 358 *ὅτι μὲν οὖν ἥδιστόν ἐστιν ἐν τῷ βίῳ τὸ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν ἄλλως τε καὶ εἴ τις ἕλοιτο τοιαῦτα πράττειν οἷα καὶ σύ, σχεδὸν παντὶ δῆλον.* Euripides ipse Iph. Taur. 591 *σὺ δέ... σώθητι καὶ σύ* ubi rectissime Weilius *sauve-toi comme je désire moi aussi de me sauver*, in Hippolyto idem Weilius probi iudicii non meminit, in Iphigenia alii moliti sunt easdem atque hic ineptias. quin eisdem quibus in Hippolyto verbis Euripides iterum usus est Heraclid. 660. Alcmena postquam Hyllum venisse ab Iolao audivit ad nuntium conversa *ὦ χαῖρε καὶ σὺ τοῖσδε τοῖς ἀγγέλμασιν.* sed

apud moribundum *χαῖρε καὶ σύ* singulari vi praeditum est. quotiens enim in lapidibus sepulcratibus *vale et tu; et tu; καὶ σὺ χαῖρε* i. e. *χαίρειν κελεύεις ἐμέ· καὶ σὺ χαῖρε* similia leguntur. mos est mortuos valere iubere. qui si respondent *καὶ σύ*, faciunt quod vivi fecerunt. si priores *καὶ σὺ χαῖρε* inquiunt, sibi post mortem bene esse adseverant, quod superstitum pietas audire gaudet. hocine Hippolyto castissimo deis carissimo *μεμυημένῳ* (25) iuveni convenit? taedet morem pientissimum per omnia saecula vulgarem testimoniorum mole firmare. at ne minus philologice fecisse videamur, perlegas quidquid contulerunt O. Jahn. Arch. Beitr. 149. Bös. Blick 61. Stephani. Ausruh. Her. 41. ego, nequis malus invidere possit neu mala fascinare lingua, CD scribo temonemque insuper addo adscriboque, ut Acris in anaglypho factum est, *καὶ σύ*.

5.

Pari confidentia, qua modo traiectis versibus scaenae ac fabulae salutem quaesivi, nunc undeviginti versus Euripidi abiudico. scio hic quoque, grammaticos veteres et doctos patienter tulisse quae mihi intolerabilia videntur, profiteor paucissimas ex ingenti quem recens aetas detexit interpolationum numero a me quoque spurias haberi; tamen quae dudum mihi certa visa sunt, non reticeo, hic quoque intellegentium amicorum iudicio sustentatus.

velim lectores Casandrae declamationem Troad. 354—405 diligenter perlegant. quodsi perlegeritis iam me audiatis. aio interpolatorem veterem (i. e. saec. IV. vel certe III. a. Chr.) inseruisse vs. 365—383

365 *πόλιν δὲ δείξω τήνδε μακαριωτέραν*
ἢ τοὺς Ἀχαιούς, ἔνθεος μέν, ἀλλ' ὅμως
τοσόνδε γ' ἔξω στήσομαι βακχευμάτων·
οἳ διὰ μίαν γυναῖκα καὶ μίαν Κύπριν
θηρῶντες Ἑλένην μυρίους ἀπώλεσαν.
370 *ὁ δὲ στρατηγὸς ὁ σοφὸς ἐχθίστων ὕπερ*
τὰ φίλτατ' ὤλεσ', ἡδονὰς τὰς οἴκοθεν
τέκνων ἀδελφῷ δοὺς γυναικὸς οὕνεκα,
καὶ ταῦθ' ἑκούσης κοὐ βίᾳ λελῃσμένης·
ἐπεὶ δ' ἐπ' ἀκτὰς ἤλυθον Σκαμανδρίους
375 *ἔθνησκον οὐ γῆς ὅρι' ἀποστερούμενοι*

οὐδ' ὑψιπύργου πατρίδος· οὓς δ' Ἄρης ἕλοι,
οὐ παῖδας εἶδον, οὐ δάμαρτος ἐν χεροῖν
πέπλοις συνεστάλησαν, ἐν ξένῃ δὲ γῇ
κεῖνται· τὰ δ' οἴκοι τοῖσδ' ὅμοι' ἐγίγνετο,
380 χῆραί τ' ἔθνησκον, οἱ δ' ἄπαιδες, ἐν δόμοις
ἄλλως τέκν' ἐκθρέψαντες, οὐδὲ πρὸς τάφους
ἔσθ' ὅστις αὐτοῖς αἷμα γῇ δωρήσεται·
ἢ τοῦδ' ἐπαίνου τὸ στράτευμ' ἐπάξιον.

tales in Vaticano versus et elegantibus numeris et dictione quaesita scribuntur. in Palatino praeter solitas corruptelas nonnullae interpolationes deprehenduntur, quas omittere licet. uno tantum in versu 381 recentiori ingenio vitium erat tollendum, in quo Tyrwhittus *ἄλλοις* in *ἄλλως* mutavit. quae praeterea temptata sunt, scriptorem non librarium erroris convincunt. insunt autem immania. 373 *γυνὴ ἑκοῦσα* mulier est, quae volens rapta est. 375 *ἔθνησκον* opponitur versui 374 *οὓς Ἄρης ἕλοι.* debebat priore loco dici „*pugnabant*". 380 sq. omnino fatui sunt, nam cur uxores Achivorum potius quam Troianorum moriebantur, cur liberi? at hoc cum dicere voluisset, statim oblitus est, repetitque, Argivos, quamvis procreassent, liberis orbos fuisse, ut quorum sepulcra inferiis carerent. praeterea haud pauca aut loquacitate aut brevitate contra istuc dicendi genus peccant, quod Archimelus tertii a. Chr. saeculi poeta praeclare descripsit

λείη μὲν γὰρ ἰδεῖν καὶ ἐπίρροθος· ἢν δέ τις αὐτὴν
εἰσβαίνῃ, χαλεποῦ τρηχοτέρη σκόλοπος.

non omnia enumero, sed quae eis sufficiant, quorum aures suavitati Euripidis adsueverint. 377 *οὐ παῖδας εἶδον* dicere vult, Argivos instante morte liberorum adspectu caruisse. miserum est simplex *ὁρᾶν*. *ἐν ξένῃ δὲ γῇ κεῖνται;* saepe *κεῖνται* dici potest, ubi *mortui sunt* simplicissimum est. hoc loco ipsa moriendi notio premenda erat. *πρὸς τάφους — αὐτοῖς αἷμα γῇ δωρήσεται* balbutientis est. 383 *τὸ στράτευμα* pessime dicitur, nam natio adpellanda erat, *ὁ στρατηγός* autem qui supra nominatus erat nec opponi exercitui debet, nec illo vocabulo conprehendi potest. 368 *διὰ μίαν γυναῖκα καὶ μίαν Κύπριν μυρίους ἀπώλεσαν* probum est; qui *θηρῶντες Ἑλένην* interponit, acumen infringit. idem dicendum de vs. 371 *ἡδονὰς τὰς οἴκοθεν τέκνων* ubi *τέκνων* non solum supervacaneum est, sed efficit, ut ubi *γυναικὸς οὕνεκα* audis,

Clytaemnestram intellegas. 375 *οὐ γῆς ὅρι' ἀποστερούμενοι — οὐθ' ὑψιπύργου πατρίδος*, non solum otiosum hoc sed molesto zeugmate cum vocabulo *ὅρια* coniunctum. sed opponamus imitatori exemplar: nulla re fraus si qua latet manifestior fieri potest.

εἰ γὰρ ἔστι Λοξίας,
Ἑλένης γαμεῖ με δυσχερέστερον γάμον
ὁ τῶν Ἀχαιῶν κλεινὸς Ἀγαμέμνων ἄναξ·
κτενῶ γὰρ αὐτὸν κἀντιπορθήσω δόμους
361 *ποινὰς ἀδελφῶν καὶ πατρὸς λαβοῦσ' ἐμοῦ.*
ἀλλ' αὔτ' ἐάσω· πέλεκυν οὐχ ὑμνήσομεν
ὃς ἐς τράχηλον τὸν ἐμὸν εἶσι χἀτέρων,
μητροκτόνους τ' ἀγῶνας οὓς οὑμοὶ γάμοι
364 *θήσουσιν, οἴκων τ' Ἀτρέως ἀνάστασιν.*
384 *σιγᾶν ἄμεινον τἀσχρά, μηδὲ μοῦσά μοι*
γένοιτ' ἀοιδὸς ἥτις ὑμνήσει κακά.
Τρῶες δὲ πρῶτον μὲν τὸ κάλλιστον κλέος
ὑπὲρ πάτρας ἔθνῃσκον· οὓς δ' Ἄρης ἕλοι
νεκροί γ' ἐς οἴκους φερόμενοι φίλων ὕπο
ἐν γῇ πατρῴᾳ περιβολὰς εἶχον χθονὸς
390 *χερσὶν περισταλέντες ὧν ἐχρῆν ὕπο.*
ὅσοι δὲ μὴ θάνοιεν ἐν μάχῃ Φρυγῶν
ἀεὶ κατ' ἦμαρ σὺν δάμαρτι καὶ τέκνοις
ᾤκουν, Ἀχαιοῖς ὧν ἀπῆσαν ἡδοναί.

sufficiunt haec. unde interpolator sua expresserit, patet; *ἔθνῃσκον*, quod Troia capta de omnibus non solum apte sed cum eleganti acerbitate dicitur, ad Argivos absurdissime transtulit 373. *οὓς δ' Ἄρης ἕλοι* hemistichium integrum repetivit, quod ferri non posse intellexit, qui 376 in Palatino interpolavit *οὓς δ' ἕλοι δόρυ*. quod Euripidem ineptientem reddidit, iste non curavit: nam interposita longissima Graecorum vituperatione et 393 *Ἀχαιοῖς ὧν ἀπῆσαν ἡδοναί* supra modum friget, et ridetur Casandra quae 384 exclamet *σιγᾶν ἄμεινον τἀσχρά.* accedit quod hoc tunc tantum vere dictum est, si ad scelera Clytaemnestrae et Orestae refertur. actum est de declamatore qui cum 418 Talthybium Casandrae legisset

Ἀργεῖ' ὀνείδη καὶ Φρυγῶν ἐπαινέσεις

tribuere, egregiam sibi visus est expatiandi occasionem nactus

esse, fecitque Casandram praefantem, se quamvis insanam paullulum ἔξω βακχευμάτων locuturam esse. quod egregie perfecit: nihil nisi ἀπροσδιόνυσα protulit.

6.

Interpolator, cuius fraudes tertio huius libri capite persecuti sumus, Cyclopi unum versum 202 ineptia insignem intrusit. corruit igitur quae adhuc apud homines sobrios valuerat opinio, esse Euripidis fabulam Byzantina interpolatione immunem. quae in uno additamento non substitit; sed id mihi quoque certissimum est antiqua interpolatorum sorde non esse infectam Cyclopem: delenda sunt paucissima, utinam ne tanta essent supplenda.

De Troia capta Helenaque recuperata coryphaei haec sunt verba festivissima nequitia insignia

οὔκουν ἐπειδὴ τὴν νεᾶνιν εἵλετε,
180 ἅπαντες αὐτὴν διεκροτήσατ' ἐν μέρει,
τὴν πρόδοτιν, ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον
κλῳὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα
185 ἐξεπτοήθη [1])

---

1) Sicut hoc loco ita saepius in Paride Helenae hospite Asiatica vestis describitur, *compti crines et aurum vestibus inlitum*, spectaturque talis in vasculorum splendidissimis picturis, (cf. Perizon. ad Ael. V. H. VII. 32. Böttiger kl. schr. II. 259.) apud Euripidem Troad. 991 Hecuba Helenae exprobrat

ὃν (Paridem) εἰσιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι
χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας,

et Iphig. Aul. 73 Paris dicitur ἀνθηρὸς μὲν εἱμάτων στολῇ
χρυσῷ τε λαμπρὸς βαρβάρῳ χλιδήματι.

fieri nequit quin haec omnia ad certos Cypriorum versus redeant, etiamsi Procli argumentum nihil dicat nisi dona Helenae a Paride esse oblata. consimili modo ipsum Cypriorum exordium Euripides expressit Hel. 39 et Orest. 1641, quod inde haud absurde suppleri potest

ἦν ὅτε μυρία φῦλα κατὰ χθόνα πλαζόμεν' [ἀνδρῶν
ἐκπάγλως ὕβριζε] βαθυστέρνου πλάτος αἴης

ἀνδρῶν Barnesius certo, ἐκπάγλως Welckerus haud inprobabiliter supplevit: ὕβριζε Euripides suppeditat.

ecquid desideras? imo ne pateris quidem quidquam addi. at Byzantii fuit qui post 180 intruderet

ἐπεί γε πολλοῖς ἥδεται γαμουμένη.

itaque accusativus τὴν προδότιν omni ratione caret. atque pulchre quidem πολυάνορα dixit Helenam Stesichorus: πολλοῖς γαμουμένην nemo poterat dicere, antequam γαμεῖν non solum ea libertate usurparetur, qua substantivum γάμος apud probos scriptores invenitur, sed neograecam induisset obscenitatem, cuius non in promptu mihi est antiquius exemplum quam ex Asini scriptore, qui olim Lucianus falso credebatur, cap. 32, quo loco rusticus puer loquitur.

Quo modo Cyclops taetram cenam sibi paraverit his verbis Ulixes narrat

φῶτε συμμάρψας δύο
ἔσφαζ' ἑταίρων τῶν ἐμῶν ῥυθμῷ τινι
τὸν μὲν λέβητος ἐς κύτος χαλκήλατον,
400 τὸν δ' αὖ τενόντος ἁρπάσας ἄκρου ποδὸς
παίων πρὸς ὀξὺν στόνυχα πετραίου λίθου
ἐγκέφαλον ἐξέρρανε καὶ καθαρπάσας
λάβρῳ μαχαίρᾳ σάρκας ἐξώπτα πυρί,
τὰ δ' ἐς λέβητ' ἐφῆκεν ἕψεσθαι μέλη.

ita haec ex fide codicis eduntur, nisi quod στόνυχα Scaligero debetur; γ' ὄνυχα codex. placet in oratione concitata ad τὸν μὲν verbum desiderari: ἀσυνδέτως se excipere ἔσφαζε et ἐξέρρανε minime placet. neque ῥυθμῷ τινι probabiliter explicatum inveni. ῥυθμὸς enim vocabulum Euripidi gratum nulla translatione genuinam amittere potest significationem, ut aut conpluria eisdem quasi numeris perfici aut unius facti tenor certis intervallis carminis instar distingui dicatur. ποίῳ τρόπῳ τε καὶ τίνι ῥυθμῷ φόνου ita bene iunguntur (El. 772); οὐχ ἕνα ῥυθμὸν κακῶν Supplices habent (98) i. e. lacrimis tonsura capitis sordida veste luctum ostendunt. sed quo pacto simplex factum *quasi per numeros* fiat ignoro. expressit autem Euripides Homeri versus ι 289 sqq.

ἀλλ' ὅ γ' ἀναΐξας ἑτάροις ἔπι χεῖρας ἴαλλεν.
σὺν δὲ δύω μάρψας ὥς τε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
κόπτ'· ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.

atrocitatem, ut fieri solet, auxit imitator quamvis egregius descriptionis subtilitate. tamen paullo humanior redditus est Cyclops, qui carne vescitur non solum non cruda sed adeo elixa, quam

ne Ulixes quidem Homericus noverat. ceterum non temere ab Homero desciscit Euripides. itaque simul correptorum hominum alterum in cortinam conicit Cyclops, alterum trucidat, quo modo non catulos sed lepores semimortuos interimi memini; ingens robur eo cernitur, quod utrumque eodem tenore fit. quod extollendum esset omni poetae; quanto magis tragico qui in numerorum oppositione nimius est. et extulit Euripides qui *ῥυθμῷ τε ἑνὶ* scripsit. vidimus, opinor, quantas turbas in codice *Φ* elisio adspiratioque pepererint. coquitur ergo alter ex sociis Ulixis in cortina, alter eliso cerebro [2]) humi iacet adsidente *Orci coquo* qui carnem ossibus abripit ut verubus infixa assetur. videtur tamen elixa magis delectari, uno enim homine integro non contentus minuta carnis frustula in cortinam *mandat* coquenda. mandandi vocabulum parum aptum esse intellexit Nauckius. sed fugit eum fugitque, ut videtur, omnes, valde inperite agere, qui coquendam carnem in particulas divellat. convocent matronarum consilium qui militi non credunt quem haec quoque docuit *πόλεμος πατὴρ πάντων*. Byzantinus demum et scholasticus stupor ista excogitavit

τὰ δ' ἐς λέβητ' ἐφῆκεν ἕψεσθαι μέλη.

Haec spuria in Cyclope repperi. sequantur pusillae at certae emendatiunculae duae. Ulixes Sileno imperat

162 *ἐκφέρετέ νυν τυρεύματ' ἢ μήλων τόκον.*

at utrumque et promisit Silenus 134, 136 et profert 189, 90. iussus ergo est utrumque, scribendumque oratione magis concinna

ἐκφέρετέ νυν τύρευμα καὶ μήλων τόκον.

Caecatus Cyclops vociferatur 664

ὤμοι, κατηνθρακώμεθ' ὀμμάτων σέλας.

ΧΟ. *καλός γ' ὁ παιάν, μέλπε μοι τόνδ', ὦ Κύκλωψ.*

canere paeanem Cyclops non potest iuberi, cecinit enim, sed iterum canere, iterat enim: *μέλπε μοι τόνδ' αὖ, Κύκλωψ.*

Huc usque certa protuli et quae amicis dudum persuasissem. nec tamen ab audaciore refugio coniectura, quae mihi aeque certa videatur. in Cyclopis philosophantis declamatione cum corrupta

---

2) *Ἐγκέφαλον* Atheniensibus obscenum vocabulum fabula satyrica admittit sicut comoedia. vitavit in tragoedia Euripides Troad. 1176, ubi scholia excerptam habent Apollodori scitam observationem, cuius paullo plura supersunt in Athenaei epitoma II. 65 f. nescio cur commentatores de Apollodori fide dubitent. hac quoque de causa nimis asper antiquis videbatur Hegesippus de Halon. 45.

sunt nonnulla, tum explicatu indigent frustra temptata. quae eo libentius tango quo suaviorem eis adscribam commentarium. fungi enim eius vice potest buranum carmen CLXXXVI. (p. 73 Schmeller.) quo delectabuntur criticis quaestiunculis defetigati.

Alte clamat Epicurus:
„venter satur est securus,
venter deus meus erit."
talem deum gula quaerit,
cuius templum est coquina,
in qua redolent divina.

Ecce deus opportunus:
nullo tempore ieiunus
ante cibum matutinum
ebrius eructat vinum;
cuius mensa et cratera
sunt beatitudo vera;

Cutis eius semper plena
velut uter et lagena;
iungit prandium cum cena,
unde pinguis rubet gena,
et si quando surgit vena
fortior est quam catena.

Sic religionis cultus
Veneris movet tumultus,
rugit venter in agone,
vinum pugnat cum medone:
vita felix otiosa
circa ventrem operosa.

Venter inquit: „nihil curo
praeter me, sic me procuro,
ut in pace, in idipsum
molliter gerens metipsum,
super potum super escam
dormiam et requiescam."

vides omnia religionis abdominalis placita eadem esse apud Epicurum bursae atque apud Euripidis Cyclopem. vixere fortes et ante et post Epicuri sanctum caput, nec defuerunt umquam qui

philosophiae hedonicae veritatem suis metirentur cupiditatibus. etiam Euripides vulgi iudicium de nescio cuius sophistae doctrinis non sine suavi irrisione refert. orditur enim Cyclops

ὁ πλοῦτος, ἀνθρώπισκε, τοῖς σοφοῖς θεός.

quid, obsecro, Cyclopi cum divitiis? ne novit quidem; si nosset sperneret. sed suo iure Euripides philosophiam Cyclopis sibi ipsi non constantem fecit, ut sophisticae sapientiae imaginem plenam redderet. verum quam hic libenter amplector excusationem frustra quaero versibus 334. 5. loquitur de frugibus, quas sibi terra ferat quamvis invita

ἁγὼ οὔτινι θύω πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ,
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.

cur se ipsum deum esse hic dissimulat Cyclops, quo exultaverat 231, 321? ut vero hoc sibi indulserit Euripides, nonne absurde loquitur qui se non deis sed deorum summo sacra facere dicit? estne ex vili coniecturarum genere, quae tamquam *ingeniosi lusus* et laudantur et contemnuntur, lenissima mutatio qua ventri alterum deum addidi, istum qui quando Cyclops satur supinus iacebat tunicamque palliumque pertundebat?

ἁγὼ οὔτινι θύω πλὴν ἐμοῖς θεοῖς, ἰδού,
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.

crasis et anapaestus 334 odio sint delicatulis.

7.

Herculem inde potissimum esse depravatam, quod, cum ex antiquo exemplo transcriberetur, syllabae male divisae sunt, vel strictim percurrenti oculo adparet; pauca sed idonea exempla adscripsit Bernhardyus cum de eximia tragoedia non minus perversum iudicium tulit quam de reliquis. nullum vero memoratu dignius quam 1115

ακανθεωντισειπαθοικαταστενοι.

vapularet hodie puer quin cum Cantero legeret *ἃ κἂν θεῶν τις εἰ πάθοι καταστένοι*. Byzantinus librarius non solum *ἀκανθεὼν τίς εἴπαθ' οἱ καταστένοι* scripsit, sed in margine monuit *ἄκανθα ῥαχίς*. non multo maiore negotio sananda restant conpluria; quod non evenisset, nisi Hercules paene contempta iaceret.

Hercules ex inferis redux postquam quae suis imminerent audivit gravibus verbis salutem eis promittit.

τῷ γάρ μ' ἀμύνειν μᾶλλον ἢ δάμαρτι χρὴ
575 καὶ παισὶ καὶ τεκόντι; χαιρόντων πόνοι·
μάτην γὰρ αὐτοὺς τῶνδε μᾶλλον ἤνυσα.
καὶ δεῖ μ' ὑπὲρ τῶνδ', εἴπερ οἵδ' ὑπὲρ πατρός,
θνήσκειν ἀμύνοντ'. ἢ τί φήσομεν καλὸν
ὕδρᾳ μὲν ἐλθεῖν ἐς μάχην λέοντί τε
580 Εὐρυσθέως πομπαῖσι, τῶν δ' ἐμῶν τέκνων
οὐκ ἐκπονήσω θάνατον; οὐκ ἄρ' Ἡρακλῆς
ὁ καλλίνικος ὡς πάροιθε λέξομαι.
ΧΟ. δίκαια τοὺς τεκόντας ὠφελεῖν τέκνα
πατέρα τε πρέσβυν τήν τε κοινωνὸν γάμων.

575 τεκόντι scripsi: traditum γέροντι tam absurdum est ut vix credam a me primo verum esse prolatum. 581 ἐκπονήσω recte nunc servatur satis defensum vs. 309, anacoluthon vero Herculi unice convenit. 583 ΧΟ. addidit Tyrwhittus. at corrupta sunt chori verba, nam οἱ τεκόντες non norunt uxorem nec, si hoc excusatur, cum patre, nedum cum sene patre, possunt coniungi. ardua res est emendare chori verba, quibus longiores actorum orationes distinguere solet Euripides, inanem sententiolam quae a reliquis personis vix respicitur aut binis aut ternis aut quaternis, numquam aut singulis aut quinis versibus complexus. solet autem fere iudicium de oratione praegressa ferri causa quadam addita, vel sententia inde derivari generalis. itaque Herculis verba adscripsi, ne de eorum vi mihi quisquam obloqueretur. opponit enim quae iussus ab infesto Eurystheo exantlaverat eis quae iam sibi pro suis audenda sint: *quam fortis fui quando servivi; quanto fortior ero liber.* quos animos a choro probari suspicamur, non nuda quidem oratione sed argutiis aliquo modo condita; nam in sententiam generalem a librariis distorta esse quae de uno Hercule dicta erant facile adparet. quid si haec fere extarent *sancta iura te iubent etiamsi non iubearis tuos servare?* amplecteremur opinor argutias vere Euripideas. at id ipsum extat

δίκαιά τοὔσθ' ἑκόντα σ' ὠφελεῖν τέκνα
πατέρα τε πρέσβυν τήν τε κοινωνὸν γάμων.

non semper integritas recuperatur sine mutatione (nulla enim est adspiratio post elisionem) sed leni manu pleraque in Hercule sananda sunt.

Lycus chorum increpat

ὑμεῖς δέ, πρέσβεις, ταῖς ἐμαῖς ἐναντίον
γνώμαισιν ὄντες οὐ μόνον στενάξετε
τοὺς Ἡρακλείους παῖδας ἀλλὰ καὶ δόμου
250 τύχας, ὅταν πάσχῃ τι, μεμνήσεσθε δὲ
δοῦλοι γεγῶτες τῆς ἐμῆς τυραννίδος.

nemo opinor nedum minax et truculentus postquam dixit *lugebitis non solum Herculis filios sed domum vestram* (i. e. filios vestros) addit *quando ei aliquid acciderit.* condicionali enuntiato oportet significetur crimen, quo commisso chorus poenas daturus est. cui minime obstrepit quod participio ὄντες condicionalis vis subesse potest. infestos enim sibi esse senes Lycus probe scit, atque quoniam illud scit ultra eos progredi vetat. quod ita fecit: στενάξετε ὅταν χάσκητε. quem vocabuli χάσκειν usum si in lexicis vulgaribus frustra quaesiveris, quae sufficiant tibi praebebunt interpretes ad Soph. Ai. 1227 et Callim. hymn. Apoll. 24. χάσκει quidem non solum chorus sed longa oratione in Lycum invehitur: sed oratione cuius summa est, se nihil facere posse.

Non minus facile corrigitur, sed pluribus indiget ut explicetur locus, quem a me emendari paene doleo: non enim idoneus sum qui ea persequar quae persequenda esse haud ignoro: audendum tamen est quod praestare possumus, etsi sciamus quam sit nobis curta supellex.

θεοὶ θεοὶ τῶν ἀδίκων μέλουσι
καὶ τῶν ὁσίων ἐπάειν·
ὁ χρυσὸς ἅ τ' εὐτυχία
775 φρενῶν βροτοὺς ἐξάγεται
δύνασιν ἐφέλκων.
χρόνου γὰρ οὔτις τὸ πάλιν εἰσορᾶν ἔτλα
νόμον παρέμενος
ἀνομίᾳ χάριν διδούς·
780 ἔθραυσε δ' ὄλβου κελαινὸν ἅρμα

codicis et discriptionem servavi et lectiones praeter pusilla quaedam et dudum certo emendata. praeterea Hermanno auctore ἄδικον quod post δύνασιν codex praebet delevi repudiatum antistropho. Hermanniana enim et divina emendatio homines non propter iniustam potentiam, sed propter potentiam superbientes Euripidi restituit. sunt etiam nunc quae nec intellegam nec

emendare possim. *μέλουσι* quidem, quod Canterus scripsit codex voluit cum *μέλλουσι* daret, certum est propter antistrophi repetitionem, sed insolenter dictum est; nec *κελαινὸν* habeo quomodo apte interpreter. sed hoc non impedit, quo minus *χρόνου τὸ πάλιν* quid sibi velit quaeramus. Pindari versiculus Ol. 14, 87, quem Musgravius conparavit, ubi senex *ἴκων νεότατος τὸ πάλιν* dicitur, non magis huc facit quam loci quibus *τὸ ἔμπαλιν* cum genetivo iunctum est adscripti a Boeckhio ad Pindari versum. nam opposita est senectus adulescentiae, tempori quid est oppositum? ut vero *χρόνου τὸ πάλιν* id sit, quod Pflugkius esse credidit (quod negaverim), sententia ipsa *futurum tempus adspicere nemo valet* et contorta est et perquam incommoda. requiritur enim necessario quod cum praeclara ultimi versiculi imagine congruat, concreti quiddam, ut cum philosophis nostris loquar. *felicitas curru triumphali vehitur, nec tamen valet firmis oculis spectare*... quid? instrumentum quo Tempus utitur ad currum evertendum; similiter *ἐς λόγχας βλέπειν* dicitur. Tempus autem deus est, ut esse solet quinto a. Chr. saeculo; mythologi deum *εὐμαρῆ* (Soph. El. 529) aut neglegunt aut *κρονίων ὄζουσιν*. *Χρόνος* omnium pater est apud Pindarum (Ol. 2, 16) *Πότμου* minister (Nem. 4, 44); scilicet convenit Pindaro cum Pherecyde Syrio et Orpheo (Welcker Gr. G. I. 143, quae disputatio multo et copiosior et subtilior potest institui); apud Simonidem principem lyricorum Graecorum 88 dentibus acerrimis omnia conrodit. *αὐθιγενές* enim Simonidis ingenium a sentiendi et dicendi genere omnibus populis communi propius abest quam a sapientiae tenebris, qua et Pindarus delectabatur et Euripides. apud hunc enim *Χρόνος* dierum pater est (Suppl. 788). *αἰῶνος* pater (Heraclid. 900 cf. Plat. epigr. 19. Orph. hymn. 13, 5.) pravitatem hominum detegit speculo eis tanquam virgini oblato (Hippol. 424). mitto ambigua, *χρόνον ἰατρὸν* vel *τεχνίτην* comicorum, et quae in laudem Temporis dicuntur innumera apud Sophoclem et Euripidem (non vero apud Aeschylum). qua fronte *Χρόνος* deus esse Atheniensibus negatur? quia non colebatur? colebaturne aut *Λύττα* aut *Θάνατος* aut Astra aut *Φθόνος* aut *Δίκη*? tamen in scaenam veniunt et in vasculis picti sunt. quid quod et Amor et Victoria eodem in numero sunt. *Ἀθηνᾶν Νίκην* templo et sacrificiis ornabant Athenienses; privatus unicam aram Amori dedicavit Charmus. itaque apud poetas sexti saeculi ineuntisque quinti quidquid libuit

aut formae aut adtributi aut muneris deis istis traditur ut cuique loco convenit: cogita modo quae de Amore Anacreon, de Victoria Pindarus dicere ausi sint. certa autem forma ac figura numinibus tum demum est, cum apud pictores sculptoresque usus et felicis audaciae imitatio invaluit. quod medio saeculo quinto in Victoria factum esse supra dixi; vascula nigris coloribus picta eam ignorant, rubrae figurae ostendunt, consentiunt poetae duce Sophocle; in Amore summum artificem se praestitit divinus ille Praxiteles, per quem etiam cultus Amoris percrebruit. potest autem etiam dramatica poesis artes figuratas docere, quod in Furiis Aeschylum fecisse manifestum est. sed haec significasse satis habeo, res in propatulo est. tamen philologi quam caeci sint adnotationes qualis est Schneidewini ad Soph. Oed. Tyr. 27 docent; mallem tamen caecutire quam allucinari eorum ritu qui invictam Iahnii de vasculorum pictorum aetatibus sententiam artis epigraphicae inscientia convellere sibi videntur. Temporis figuram in monumentis veteribus nullam vidi; nam Archelai tabula Homerica scholae usui destinata huc non facit. ac fieri non poterat quin exaresceret vivida Temporis imago efflorescente philosophia. nec tamen dubito recuperari posse divinando instrumentum quod Euripides ei tribuerat. requirimus enim aptum evertendo currui. falcem praelongae perticae infixam quam novicii artifices Tempori tradunt unde sumpserint quandove hic usus invaluerit nescio. ante Paulum Veronensem pictum non memini Tempus, nec fortasse inepte conicio duplici confusioni illam figuram deberi, ita ut et *Χρόνος* eum Saturno et *ἅρπη* cum falce confusa sit. accedit quod in praeclarissimo Campi Sancti pariete Pisis ignotus homo sed dignus magistri Iocti aemulus Mortem triumphantem et simili figura et falce ea armatam pinxit quae postea Tempori quoque tradita est. Orphicorum deus *Αἰὼν* de quo archaeologorum Lobeckius inquisivit Georgius Zoega (Bassir. II. 32) clavam tenet; eandem a *Καιρῷ* teneri in opere musivo Veneto parum adcurata imagine deceptus credidit O. Iahnius. sed antequam in haec temporis numina ab homine sano inquisitum erit, qui nec aetates confundat nec noviciis nebularum auroraeque deliramentis quidquam indulgeat, vix poterit certi quidquam conligi. nos igitur nihil quaerimus nisi instrumentum evertendo currui idoneum: Furiae Etruscorum in sarcophagis Hippolyti interitum exhibentibus clavam tenent, nisi forte statuere mavis faces saepius pessime

sculptas esse, quod diiudicare non meum est. atque in Euripidis fabula Theseus de filii morte certior factus nuntium interrogat

εἰπέ, τῷ τρόπῳ Δίκης
ἔπαισεν αὐτὸν ῥόπτρον αἰσχύναντ' ἐμέ;

ubi Valckenarius, ut erat animo a poesi alieno, *paxillum in decipula* intellegit. Iustitia hoc loco clavam gerit currum eversura uti apud Aeschylum in Προπομποῖς, fabula Niobae res complexa, ligonem; ibi domus destruitur, (ligo ille Iovis, quem Διὸς πάρεδρος Δίκη gerit, etiam in Troia delenda apud Aeschylum memoratur); uti in arca Olympiae prostante, quam cum Pausania suo Cypseli falso vocant archaeologi, vasculoque picto notissimo baculum gerit, percutit enim Iniuriam. at videtur sane clava insigne fuisse Iustitiae ut fuit Furiarum; contulit quae huc facerent sedulo Boettigerus kl. schr. II. 215, intellegiturque Pitholai nescio cuius illud apud Aristotelem τὴν πάραλον εἶναι τοῦ δήμου ῥόπαλον. denique miratus sum cum pictorum principem equiti divino, qui Heliodorum ex Hierosolymitano templo eicit, clavam aeream tribuisse vidi. utinam artium periti adcuratiora nos doceant: interim apud Euripidem confidenter Χρόνου ῥόπαλον restituo.

Dissentiunt editores in eis quae Megara et Amphitryo ubi Herculem accedere vident inter se locuntur distribuendis. videtur autem Nauckius in ea opinione, quam Kirchhoffius in priore editione protulit in altera abiecit, recte perseverasse. tribuendus igitur v. 517, ubi codex lineolam omittit, Amphitryoni

	ME.	ἔα,
		ὦ πρέσβυ, λεύσσω τἀμὰ φίλτατ' ἢ τί φῶ;
515	*AM.*	οὐκ οἶδα, θύγατερ, ἀφασία δὲ κἄμ' ἔχει.
	ME.	ὅδ' ἐστὶν ὃν γῆς νέρθεν εἰσηκούσαμεν
	AM.	εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν.
	ME.	τί φημί; ποῖ' ὄνειρα κηραίνουσ' ὁρῶ;
		οὐκ ἔσθ' ὅδ' ἄλλος ἀντὶ σοῦ παιδός, γέρον.

satis certa sunt stichomythiae indicia, quorsum vero spectant de somniis argutiae? Meg. *hicine ille est qui sub terra dicebatur?* interrumpit Amph. *nisi forte in luce adparet somnium.* sermo est leniter inridentis, quod cum aegre ferat Megara non sine acerbitate quadam respondet *quid? num mens mea anxia somnia videt? imo ipse Hercules est.* quam maxime Euripideum est

etsi rhetore potius quam tragico dignum orationi per summas animorum perturbationes concitatae aculeos inserere. sed nimium quantum friget lusus, nisi Megarae praecessit dictum, quod Amphitryo spectat, cum incredulus fortasse umbras ex nocte resurgere dicit. conclusit autem Megara Herculis invocationem his verbis

ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιά, φάνηθί μοι
495 ἅλις γὰρ ἐλθὼν ἱκανὸν ἂν γένοιο σύ,
κακοὶ γὰρ εἰς σέ γ' οἱ τέκνα κτάνουσι σά.

ita codex, sed 496 *εἰς σέ γ'* a secunda manu in rasura. nec dolemus genuinum periisse in versu aperte spurio quem Nauckius sustulit, cautior quam Herwerdenus qui cum paucas interpolationes in Hercule recte observasset cum alia removit sanissima tum 495, quo ne oratio misere abrumpatur opus est. corruptelam manifestam ingeniosissime tollere temptavit Reiskius *ἅλις* in *ἄλκαρ* mutato. at de vivi Herculis reditu desperavit Megara, ter eum invocavit tamquam mortuum. iubendus est vel umbra venire, nam licet umbra veniat ad salutem suorum suffecturum esse. ac respicit hoc infra Amphitryo *vide an umbra sit quam invocasti.* dixerat Megara *ἅλις γὰρ ἐλθὼν κἂν ὄναρ γένοιο σύ.*

Etiam proximi versus describendi sunt.

ΑΜΦ. σὺ μὲν τὰ νέρθεν εὐτρεπῆ ποιοῦ, γύναι·
ἐγὼ δέ σ', ὦ Ζεῦ, χεῖρ' ἐς οὐρανὸν δικὼν
αὐδῶ, τέκνοισιν εἴ τι τοισίδ' ὠφελεῖν
500 μέλλεις, ἀμύνειν, ὡς τάχ' οὐδὲν ἀρκέσεις·
καίτοι κέκλησαι πολλάκις, μάτην πονῶ,
θανεῖν γάρ, ὡς ἔοικ', ἀναγκαίως ἔχει.
ἀλλ' ὦ γέροντες κτέ.

possunt haec intellegi et defendentur a plerisque. tamen non deerunt qui mecum sentiant non bene se habere v. 502 *saepe te frustra invocavi; frustra laboro, nam moriendum est.* ponenda erat non causativa sed consecutiva particula, aut aliter conformanda oratio, veluti in hunc modum *nam non curas nepotes tuos.* rectius etiam dicitur post *κόμμα* illud *μάτην πονῶ* nihil apte sequi nisi *ἀλλ' ὦ γέροντες.* contra Megaram mira brevitate adloquitur Amphitryo. itaque haec potius ab Euripide profecta esse credo

σὺ μὲν τὰ νέρθεν εὐτρεπῆ ποιοῦ, γύναι,
θανεῖν γάρ, ὡς ἔοικ', ἀναγκαίως ἔχει·
ἐγὼ δέ σ', ὦ Ζεῦ κτέ.

Bis terve a tradito versuum ordine in hac tragoedia desciverunt editores; at paullo saepius eodem remedio opus est. unum digito monstrasse satis est. in prologo Megara primam orationem (graviter corruptam) ita concludit

ἥντιν' οὖν γνώμην ἔχεις
86 λέγ' ἐς τὸ κοινόν, μὴ θανεῖν ἕτοιμον ᾖ.
88 ΑΜΦ. ὦ θύγατερ, οὔτοι ῥᾴδιον τὰ τοιάδε
89 φαύλως περαίνειν σπουδάσαντ' ἄνευ πόνου·
87 χρόνον δὲ μηκύνωμεν ὄντες ἀσθενεῖς.
90 ΜΕ. λύπης τι προσδεῖς ἢ φιλεῖς οὕτω φάος;
ΑΜΦ. καὶ τῷδε χαίρω καὶ φιλῶ τὰς ἐλπίδας.
ΜΕ. κἀγώ· δοκεῖν δὲ τἀδόκητ' οὐ χρή, γέρον.
ΑΜΦ. ἐν ταῖς ἀναβολαῖς τῶν κακῶν ἔνεστ' ἄκη.
ΜΕ. ὁ δ' ἐν μέσῳ δάκνει με λυπρὸς ὢν χρόνος.

quam absurdus traditus ordo sit, non necesse est exponatur. uter cunctando et differendo salutem quaerit? utri ergo 87 convenit? ac bellum erat Amphitryonem ignaviae incusari cum nihil dixisset nisi verbis opem sibi ferri non posse; inest enim hoc vss. 88. 9 in quibus sine causa commentatores haeserunt.

In stichomythia qua Hercules ex Amphitryone mala sua quaerit traiectis vss. 1118. 9 verum ordinem Nauckius recuperavit. eadem medicina finis diverbii indiget. de uxoris liberumque caede certior factus Hercules eiulat

αἰαῖ· στεναγμῶν γάρ με περιβάλλει νέφος.

respondet lamentis sicut aequabilitas sermonis flagitat Amphitryo

1140 τούτων ἕκατι σὰς καταστένω τύχας
ΗΡ. ἦ γὰρ συνήραξ' οἶκον ἢ 'βάκχευσ' ἐμόν;
ΑΜ. οὐκ οἶδα πλὴν ἕν· πάντα δυστυχῆ τὰ σά.

v. 1141 difficile dictu est quantas excitaverit turbas, sed ex ingenti coniecturarum numero nulla videtur commemoratione digna. ἤθει enim contorta et ampullata non conveniunt. artem Euripidis in cotidiani sermonis scite dissimulata imitatione positam esse iudicat is qui nil molitur inepte Aristoteles, consentitque qui de sublimitate disputavit, Euripidem vim quaesivisse simplicitate, exemplo usus huius tragoediae v. 1245. [1]) itaque quamvis auda-

1) Iniuria v. 1245 codex C vitiosum exhibere dicitur, habet enim γέμω κακῶν δὴ sicut Plutarchus et qui dicebatur Longinus. lepidum est Pytha-

ciore mutatione simplicissimum restituere non dubito: *ἐν βακχεύμασιν.* 1142 *δυστυχῆ* nescio cuius sit; codicis et Euripidis *δυστυχεῖ.* totum vero distichon huic loco non convenit, *γάρ* enim v. 1141 quo referatur non habet, nec postquam Amphitryo *οὐκ οἶδα πλὴν ἕν* dixit aut quaerere ultra Hercules potest aut certe respondere Amphitryo. atqui interponitur ante longiores Herculis querellas, quibus caput praecidere Pythagoristae, distichon

> *HP.* *ποῦ δ' οἶστρος ἡμᾶς ἔλαβε, ποῦ διώλεσεν;*
> *AM.* *ὅτ' ἀμφὶ βωμὸν χεῖρας ἡγνίζου πυρί.*

quod cum leviores res tractet insigni stichomythiae fini non convenire intellegens lector perspicit. qui praeclari carminis lectionem remotis maculis repetere non gravabitur.

	HP.	*αἰαῖ· στεναγμῶν γάρ με περιβάλλει νέφος.*
1140	*AM.*	*τούτων ἕκατι σὰς καταστένω τύχας.*
1143	*HP.*	*ποῦ δ' οἶστρος ἡμᾶς ἔλαβε, ποῦ διώλεσεν;*
	AM.	*ὅτ' ἀμφὶ βωμὸν χεῖρας ἡγνίζου πυρί.*
1141	*HP.*	*ἦ γὰρ συνήραξ' οἶκον ἐν βακχεύμασιν;*
	AM.	*οὐκ οἶδα πλὴν ἕν· πάντα δυστυχεῖ τὰ σά.*
1145	*HP.*	*οἴμοι, τί δῆτα φείδομαι ψυχῆς ἐμῆς*
		τῶν φιλτάτων μοι γενόμενος τέκνων φονεύς;

Diverbii cuius supra mentionem inieci 1229—1254 levidense ulcus sanare possum; longe gravius acutioribus ostendisse satis habeo. Hercules a Theseo monitus ut ex recordatione malorum quae iam perpessus sit solacium capiat respondere fertur

> 1251 *οὔκουν τοσαῦτά γ' εἰ μέτρῳ μοχθητέον.*

aptam sententiam huic versui veteratoria interpretum ars obtrudit. lingua enim vetat *εἰ* latino *si quidem* reddi. sententia autem haec sola requiritur, *nondum tanta pertuli; est vero etiam in eis quae perferri possunt modus.* quae litteris aliter divisis recuperatur *οὔκουν τοσαῦτ'· ἀεὶ μέτρῳ μοχθητέον.* scriptum fuerat *αἰεί.* itaque hoc facillime persanavimus; in loco longe graviore quoniam sententia quae periit certo restitui nequit, a litterarum ductibus proficiscendum est, neque dubito quin acutiores verum quod ego frustra circumspexi reperturi sint, quoniam frivola interpolatione

---

goristarum quendam in eo versu offendisse, quo Graecorum elegantissimi in primis delectati sunt. sed ita gentem istam decet.

Hercules fere vacua est. concesserat Theseus Herculis malis caelum tangi; tum ille

1241 τοιγὰρ παρεσκευάσμεθ' ὥστε κατθανεῖν

ΘΗ. δοκεῖς ἀπειλῶν σῶν μέλειν τι δαίμοσιν;

ubi sunt Herculis minae? num Theseus melius quam nos intellegit quid mali dei per Herculis mortem patiantur? vult enim re vera mori Hercules, sed non minus verum est ante eum versum, quo consilium illud aperit Hercules, Thesea nihil huc pertinens audivisse. ecce verba ipsa

1246 ΘΗ. δράσεις δὲ δὴ τί; ποῖ φέρει θυμούμενος;

ΗΡ. θανὼν ὅθενπερ ἦλθον εἶμι γῆς ὕπο.

menda versus 1241 manifesta est; remedium mihi obscurum, quod eo magis doleo quo minus excogitare possum, quid mali diis morte sua adferre voluerit Hercules.

Vs. 170

ΑΜΦ. τῷ τοῦ Διὸς μὲν Ζεὺς ἀμυνέτω μέρει
παιδός· τὸ δ' εἰς ἔμ', Ἡράκλεις, ἐμοὶ μέλει
λόγοισι τὴν τοῦδ' ἀμαθίαν ὑπὲρ σέθεν
δεῖξαι.

laudandus est Nauckius quod molestis argutiis interpretum uti noluit, sed quae temptavit a sententiarum nexu non commendantur; Herwerdenus ne speciei quidem probabilitatis studuit. qui ad totius loci conformationem singula exegerit, intelleget Amphitryonem auxilio quod ipse Herculi verbis ferre potest opponere auxilium quod a Iove expectat, intercidisse igitur versum, quo iustum acumen orationis ea claritate quam antitheta flagitarent, expressum esset. ita fere Euripides scripsit

τῷ τοῦ Διὸς μὲν Ζεὺς ἀμυνέτω μέρει
<σῴζων τὰ φίλτατ' εἴπερ ἔστ' ἔργῳ πατὴρ>
παιδός· τὸ δ' εἰς ἔμ' Ἡράκλεις, ἐμοὶ μέλει
λόγοισι τὴν τοῦδ' ἀμαθίαν ὑπὲρ σέθεν
δεῖξαι.

nam multos versus librarius in Hercule omisit, velut ipso illo loco, quem Amphitryo hic respicit 149 magna pars ex Lyci declamatione intercidit, inter 592 et 593 oratio manifesto hiat, denique (ne cantica attingam) ante 1404 versus Thesei intercidit, quod non ex stichomythia laesa concludo (quae non laederetur), sed deest quo Herculis verba amicitiam Thesei laudantia referantur, et consentit quodam modo codex qui 1404 lineolam praefigit.

dixerat Theseus tale quid *ἀλλ' εὐτυχήσεις μεταλαβὼν τοὐμοῦ καλοῦ*, opus enim est hac ipsa sententia. sed non ea de causa haec protuli, ut lacunas demonstrarem aut ludibunda Musa explerem; removere volui interpolationis suspicionem quam non sine specie veri de ultimo vs. 170 vocabulo moverat Nauckius, idem facturus in versu qui proxime praecedit Lyci orationis ultimo. qui causam hanc dicit, cur Herculis filios interimat

οὔκουν τραφέντων τῶνδε τιμωροὺς ἐμοὺς
χρῄζω λιπέσθαι τῶν δεδραμένων δίκην.

veram sententiam iam Musgravius restituit *τιμωροὺς ἐμοῦ χρῄζω λιπέσθαι τῶν δεδραμένων δίκας*. duplex sermonis vitium contemptus ille Camperus (ad El. 671) sustulit, qui *τιμωρόν γ' ἐμοὶ — δεδραμένων δίκην* coniecit. postea in longe alia abire maluerunt editores, inania omnia, nisi quod recte *δίκην* illi loco convenire negarunt. atqui presse sequenda erant Camperi vestigia, neque aliud scripsit Euripides quam cuius perturbatio quomodo nata sit facillime intellegitur

οὔκουν τραφέντων τῶνδε τιμωρὸν δίκην
χρῄζω λιπέσθαι τῶν δεδραμένων ἐμοί.

hic igitur clausulae versuum permutatae sunt. paullo ante similis latet corruptela. laudat Lycus militem hastatum qui *μένων βλέπει τε κἀντιδέρκεται*

δορὸς ταχεῖαν ἄλοκα τάξιν ἐμβεβώς.

ridiculi sunt qui celerem sulcum explicant, magis ridiculi qui profundum sulcum cum Wakefieldio somniantur. pulcherrimam conparationem omnino non intellexit imbellis nisi in proprios greges grammaticorum turba. acies hastis horrida conparatur cum arvo aristis spinoso. at divina imago non fert otiosum adiectivum nedum absurdum. requiritur *ferrea seges* quam Vergilius dixit Aen. XII. 664. vocabulum aeque pulchra suggerit metaphora, qua hastae missae cum nivibus conferuntur. *τραχεῖα νιφὰς πολέμοιο* Pindarus dicit Isth. IV. 17. *τρηχεῖα πολέμου νεφέλη* in egregio quamvis non Simonideo carmine Anth. Plan. III. 26. apud Euripidem etiam verborum conlocatione commendatur

τραχεῖαν ἄλοκα τάξιν ἐμβεβὼς δορός.

Cum supra aliquot locos enumerarem quibus versus aut unus aut aliquot intercidissent, (quorum numerum facillime poteram augere) omisi initium magnae declamationis, qua Theseus Herculi persuadet ut vivere audeat.

1311 οὐκ ἔστιν ἄλλου δαιμόνων ἀγὼν ὅδε
ἢ τῆς Διὸς δάμαρτος, εὖ τόδ' αἰσθάνεις.
παραινέσαιμ' ἂν μᾶλλον ἢ πάσχειν κακῶς,
οὐδεὶς δὲ θνητῶν ταῖς τύχαις ἀκήρατος

plerique editorum cum Scaligero post 1312 lacunae signum ponunt. contra sentit Nauckius. ego nihil adfirmo, quoniam corruptelam vs. 1313 certa ratione sanare non possum, neque persuasit mihi Nauckius quamvis ingeniosum conatum. unum vero adsecutus esse mihi videor, unde recta emendatio proficisci debeat, vs. 1311. 2 non Thesei esse sed chori. nam Theseus unde furor Herculem corripuerit nescit, chorus Iridis et Insaniae conloquium audivit. et absoluta est disticho illo sententia qualis chorum decet. Theseus vero non poterat aptius incohare orationem quam ab ea sententia, quam certi versus 1314 sqq. praecessisse docent, leves fere videri eius exhortationes qui malis immunis sit, *παραινέσαι μὲν ῥᾷον ἢ πράσσειν κακῶς.* poterat ita scribere Euripides, non scripsisse manifestus est, neque quidquam docere volui interpolatione nisi versum corruptum esse, sententiam minime dubiam. finitur Thesei oratio disticho, quod suo iure Nauckius spurium dixit; tamen fieri non potest, ut Euripides ipse *κόμματι* quod est *νῦν γὰρ εἶ χρεῖος φίλων* Thesei orationem finierit vel potius abruperit. intercidere aliquot versus una cum chori disticho.

In Herculis praeclara oratione cum alia perturbata sunt tum levis corruptela totum sententiarum nexum pervertit inde a v. 1351. postquam enim verissimum illud et scaenico philosopho dignissimum protulit, eum qui miseriis obrutus vivere nesciat instante mortis periculo mori nescire (sententiam perpolivit Kirchhoffius restituto v. 1351 *ἐγκαρτερήσας*, prae quo reliqua commenta sordent) pergit in hunc modum Hercules

εἶμι δ' ἐς πόλιν
τὴν σήν, χάριν τε μυρίαν δώρων ἔχω·
ἀτὰρ πόνων δὴ μυρίων ἐγευσάμην·
ὧν οὔτ' ἀπεῖπον οὐδὲν οὔτ' ἀπ' ὀμμάτων
1355 ἔσταξα πηγάς, οὐδ' ἂν ᾠόμην ποτὲ
ἐς τοῦθ' ἱκέσθαι δάκρυ' ἀπ' ὀμμάτων βαλεῖν.
νῦν δ', ὡς ἔοικε, τῇ τύχῃ δουλευτέον.

ita heroem queri decet, ita querentem fecit is qui Lessingium docuit, quomodo regina lamentaretur. delicatuli longis declamatio-

nibus frigidam Herculem dicunt. sed non cum eis res nobis est, restituenda syllogismo simplicissimo sua forma. *non est in pugna fortis quin fortunae casus perferre valeat; ego in pugna fortissimus fui; ergo obdurabo Athenasque ibo.* *χάριν μυρίαν δώρων ἔχω, καὶ γὰρ πόνων δὴ μυρίων ἐγευσάμην.* non indiget commendatione necessaria emendatio eademque lenissima, quod codicum periti confirmabunt.

Sed de Hercule dicere infinitum est. corollarii loco elegans et Atticum *ἀτάρ* quod Herculis versu expuli Electrae restituam. ibi quoque monstrasse emendationem satis est. Orestes squallidam Rustici domum his verbis detestatur 252

σκαφεύς τις ἢ βουφορβὸς ἄξιος δόμων.
ΗΛ. *πένης γ'· ἀτὰρ γενναῖος ἔς τ' ἔμ' εὐσεβής·*

πενὴς ἀνὴρ γενναῖος codex.

8.

Persecuturus eram quomodo Cyclopem et Herculem tractavi omnes Euripidis tragoedias ut ex animadversionibus quas diuturna lectio peperit gravissimas aut certe minime pusillas promerem. sed ingens volumen taedium mihi moveret lectoribus augeret. contrahenda vela, tandemque navis ex aestuoso fluctu in portum se recipiat. sed aliquot emendatiunculae iam diu clamant contra saeculi usum multos annos se contineri intra margines editionum partim diu oblitteratarum: constat autem philologos contumacissimae proli nostrae ignavissime resistere.

Electrae interpolationes consulto non tangam; coniunctim ei n tractanda est uberrima materia (videntur octoginta fere versus insiticii esse) sed unam eluam mendam plane ridiculam, quales in tragoediis minus a critica arte neglectis nostrae aetati vix restant tollendae; itaque eis cotidie inferuntur.

Nauckius, quem in emendanda Electra primas tulisse arbitror, eximie laudandus est, quod post v. 139 ea intercidisse vidit quae vss. 125. 6, 150—156 responderunt. fieri autem potest ut vs. 125—127 post antistrophum repetendi sint. antistrophum igitur alteram contemplemur

150 *ἒ ἒ δρύπτε κάρα·*
οἷα δέ τις κύκνος ἀχέτας

ποταμίοις παρὰ χεύμασιν
πατέρα φίλτατον ἀγκαλεῖ
ὀλόμενον δολίοις βρόχων
155 ἕρκεσιν· ὡς σὲ τὸν ἄθλιον,
πάτερ, ἐγὼ κατακλαίομαι
λουτρὰ πανύσταθ' ὑδρανάμενον χροῒ
κοίτᾳ ἐν οἰκτροτάτᾳ θανάτου.

153 ἀγκαλεῖ ex metricis est Hartungii coniecturis quae fere recipiuntur cum certa emendatione carendum sit; καλεῖς C καλεῖ C². 154 πάτερ feci, πατέρ' C absurde. convenit mihi in hac coniectura cum doctissimo amico Augusto Mavio Capitolino, qui schedas suas optimis in Euripidem animadversionibus plenas Romae mihi inspiciendas concessit: ceteris Euripidis amicis nolit invidere. etiam vs. 1272 eodem modo correximus Σεμνῶν βροτοῖσιν εὐσεβὲς χρηστήριον, (σεμνὸν vitiose C) neque latuerunt Mavium turbae, quas supra ex Orestae oratione 279 expuli. sed ridiculum vitium v. 158 deformat. quis ille est *fatalis lectus* in quo Agamemnoni balneum praeparatum est? respondet Weilius vir abstrusis persaepe raro absurdis delectatus *la périphrase κοίτᾳ fait allusion au lit de repos sur lequel Agamemnon aurait dû s'étendre après le bain*, scilicet nisi antea occisus esset. Weilius igitur naufragio absumptum in portu obiisse dicit. rectius meminisset Aeschyli, cuius austeritatem Euripidis levi dictioni totiens frustra obtrusit. non aliter atque Aeschylus etiam Euripides in lavacro balnea fecit praeparari Agamemnonemque occidi δροίτᾳ ἐν οἰκτροτάτᾳ θανάτου.

Quas in Electra tangere nolui in Helena aliquot exemplis demonstrabo inpudentissimi interpolatoris fraudes. vereor enim ut ipse in tragoedia cuius ipsi numeri bilem mihi movent commoraturus sim. tribuo autem hoc interpolationum genus ὑποκριταῖς i. e. histrionibus: nam Heimsoethianis glandibus fruge dudum reperta non vescor.

In vaticinia invehitur nuntius postquam Troiam propter umbram cecidisse audivit

τί δῆτα μαντευόμεθα; τοῖς θεοῖσι χρῆν
θύοντας αἰτεῖν ἀγαθά, μαντείας δ' ἐᾶν,
755 βίου γὰρ ἄλλως δέλεαρ ηὑρέθη τόδε.
758 ΧΟ. ἐς ταὐτὸ κἀμοὶ δόξα μαντειῶν πέρι

χωρεῖ γέροντι· τοὺς θεοὺς ἔχων τις ἂν
φίλους ἀρίστην μαντικὴν ἔχοι δόμοις.

ita Euripides. longe aliter codex, qui praeter orthographica 753 *μαντευόμεσθα χρή* 758 *μάντεων* 760 *ἔχοι* exhibet. 753 apographa et Nauckius, 758 ego, 760 corrector Laurentianus emendavimus. sed non patiebantur histriones chori verba aptissime cum sententia nuntii concinere, neque credebant tam pia doctrina plausus excitari. itaque distichon ad aliorum locorum similitudinem male fictum (et offendit inportunum loquendi genus Nauckium) intruserunt

κοὐδεὶς ἐπλούτησ' ἐμπύροισιν ἀργὸς ὤν,
γνώμη δ' ἀρίστη μάντις ἥ τ' εὐβουλία.

nimirum conici poterat, non ipsam Helenam sed umbram a Paride raptam esse.

Paullo infra Helena ubi Theonoam domo egredi videt in lamentationes erumpit.

οἲ ἐγὼ τάλαινα, τῆς τύχης γὰρ ὧδ' ἔχω·
Μενέλαε, διαπεπράγμεθ', ἐκβαίνει δόμων
ἡ θεσπιῳδὸς Θεονόη, κτυπεῖ δόμος
860 κλῄθρων λυθέντων, φεῦγ'· ἀτὰρ τί φευκτέον;
ἀποῦσα γάρ σε καὶ παροῦσ' ἀφιγμένον
δεῦρ' οἶδεν· ὦ δύστηνος ὡς ἀπωλόμην.

haec bene se habent, a lamentis exorsa ad lamenta redit. non igitur operam perdemus, ut distichon intellegamus quod interpolator Helenae verbis addidit. nego enim hos versus intellegi posse

Τροίας δὲ σωθεὶς κἀπὸ βαρβάρου χθονὸς
ἐς βάρβαρ' ἐλθὼν φάσγαν' αὖθις ἐμπεσεῖ.

praepositionem per figuram *ἀπὸ κοινοῦ* positam Attica consuetudo repudiat, *ἐλθὼν* nihili est, tota sententia puerilis. in versibus genuinis adquievi in codicis lectione, qui vel iota in voce *κλῄθρων* subscriptum servat. tamen modestam dubitationem de 859 non reticeo. scio quidem plerumque iniuria removeri eandem vocem in contiguorum versuum finibus positam, si nulla alia accedit causa quam sonus nostro iudicio parum suavis. nescio tamen an valvarum strepitus parum recte *ἀσυνδέτως* addatur enuntiato quo Theonoe egredi dicitur. non enim novi quidquam adfert hoc enuntiatum sed *ἐπεξηγεῖται* proximum. scripseritne fortasse Euripides *κτυπεῖ δ' ὁδός*?

Sequitur Theonoae oratio neque fugit interpolatoris ludibrium. narrat enim illa de Menelai salute Venerem cum Iunone rixari, arbitrium penes se esse. utri dearum gratum factura esset secundum totam scaenae dispositionem indicare nondum poterat. secuntur enim Helenae Menelaique copiosae orationes, quibus Theonoa flectitur, quae altera oratione quid statuerit non minus copiose exponit. nec tamen mutati animi ullum signum, neque omnino respiciuntur verba quibus in codice prior Theonoae oratio concluditur

892 τίς εἶσ' ἀδελφῷ τόνδε σημανῶν ἐμῷ
παρόνθ' ὅπως ἂν τοὐμὸν ἀσφαλῶς ἔχῃ;

subscripsit quidem Hermannus *haec dicit Theonoa quasi aliquam famularum ad arcessendum Theoclymenum mittere volens, sed nulla abit, quoniam vident Helenam anxie orantem, ne se perdat Theonoe.* sed provoco ad ipsius Hermanni iudicium, ecquid in tragoedia Attica fiat non diserte monitum, ecquid diserte monitum non fiat. hoc si audisset, quorsum se converteret Helena? hoc si dixisset, unde alteram orationem inciperet Theonoa? tenemus histrionis fabricam, qui Menelai periculo aucto spectatorum miserationem auctum iri speravit. idem 299—302 Helenam ridiculis versibus fecit deliberantem quonam mortis genere commodissime uteretur, quos versus ad exemplum cantici Euripidei 393 sqq. et Sophoclis satyricam Helenam compositos multi eiecerunt, primus nisi fallor Lightfootus, novissimus quem ego noverim Usenerus: neminem vidi qui manifestissimo fraudis documento uteretur. scire poterant in codice 298 non πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς traditum esse sed προθάνοιμ' ἂν οὐ καλῶς, quod propter nugas istas mutatum est; Euripides scripsit

πῶς θάνοιμ' ἂν οὐ καλῶς,
ἐς γὰρ τοσοῦτον ἤλθομεν βάθος κακῶν.

In eadem Helenae declamatione luculentissimum est eius corruptelae exemplum, de qua Elmsleius compluriens verba fecit;[1]) perperam intrusum est nomen proprium

284 τὼ τοῦ Διὸς δὲ λεγομένω Διοσκόρω

1) Med. 68, ubi Elmsleius de his corruptelis disputat, Vaticanus et Φ Μηδείας praebent, Vaticani altera manus cum deterioribus et Phoenissarum scholiasta δεσποίνης. neutra lectio melioribus testibus niti dicenda est, sed antiquitus tradita esse varia lectio. utrum Euripides scripserit nescimus, nec ipse opinor dicere posset. nec aliter iudicandum esset si Ennium Μηδείας

monendine erant Athenienses *Διοσκούρους* esse *Διὸς κούρους?* rectius quaereres quo tempore coniunctim scribendi usus i. e. simplex accentus invaluisset. dixit Euripides Dioscuros a patre hoc nomen accepisse constructione usus, qua Hercul. 31 est *ταὐτὸν ὄνομα παῖς πατρὸς κεκλημένος*, reponendumque

τῷ τοῦ πατρὸς δὲ λεγομένῳ Διὸς κόρῳ.

tales vero mutationes nec Heimsöthiani *indirectae traditionis* fabri nec grammatici nec correctores evanida supplentes procudunt sed nescii librarii; nemo nostrum non ita peccat. at Helenam sane verissime dixit Cobetus a librariis nequissimis tam male habitam esse ut permulta omnino corrigi nequeant, emendatio a lenitate vix commendari possit. velut absurda quae 676 scripta sunt in codice

ὤμοι ἐμῶν δεινῶν λούτρων καὶ κρηνῶν
ἵνα θεαὶ μορφὰς ἐφαίδρυναν ἔν-
θεν ἔμολε κρίσις

(cur absurda sint non opus est persequi) putares paene nulla mutatione restituere *ὤμοι μοι δινῶν*, sed multo praestat audacior nisi Helenam tractaremus *ὤμοι Ἰδαίων* neque dubito quin id ipsum Euripideum sit. quod Euripides et hoc loco et Androm. 274, *Κρίσει* Sophocles deas ante Paridis iudicium lavatum isse dicit, idemque in vasculis elegantissimis pictum est, eodem modo e Cypriis repetendum est atque Paridis barbara vestis, de qua capite sexto idonea adscripsi. adprime convenit quod vulgari et cyclicae fabellae adversatur Callimachus lav. Pall. 20.

Sed mittamus Helenam, in cuius ulceroso corpore desultoria opera parum proficit. fabulis ab histrionibus interpolatis addenda est Iphigenia Taurica cui non ita multum profuit quod ex Germanis permulti eam potissimum tractarunt. meliora praestitere Britanni, laudandusque est apud nostrates parum notus Monkius, quem ne hoc quidem fugit, grassatos esse in Iphigenia interpolatores. ac profecto eandem fabricam sapiunt 40. 1; 59. 60; 70; 116. 7; 258. 9; 588—90; 682 alia. unum addam exemplum quod ad iudicandam Euripidis artem facit. Orestes ubi Pyladi valedicit Apollinem queritur sibi mentitum esse. quod ne palam fieret eum quam longissime se a Graecia proiecisse

---

legisse constaret. sed miror profecto etiam sobrios homines eatenus iudicii oblitos esse, ut Ennii versibus vel maiorem fidem tribuerent, quam quae ab eis servatur qui hodie tragoedias Graecas barbare vertunt.

714 ᾧ πάντ' ἐγὼ δοὺς τἀμὰ καὶ πεισθεὶς λόγοις
μητέρα κατακτὰς αὐτὸς ἀνταπόλλυμαι·

nolo subtili disquisitione demonstrare, hoc distichon cum superioribus verbis non concinere: quantum frigeat nemo non videt. est autem manifesto spurium, quia Orestes paricidii coram choro mentionem facere non poterat ante ἀναγνωρισμόν. valde neglegentem cum omnino in ultimis tragoediis tum in hac Iphigenia se praestitit Euripides sed in probabilitatem non peccat, imo vel nimis ei studet. eiusdem autem generis hanc interpolationem esse atque eas quas in Helena modo contemplati sumus in propatulo est. num fortasse (dubitanter loquor, neglegentior enim hac aetate Euripides) idem interpolator 826 Pelopis hastam in Iphigeniae cellula (quam pii parentes post filiae mortem intactam servabant) abdidit? ἀναγνωρισμῷ enim sufficit quod Orestes hastam in aedibus paternis vidit, ac vereor ne Athenienses mecum mirum armamentarium risuri fuerint. sed riserunt fortasse.

In alio eiusdem tragoediae versiculo emendando mihi ipse paene diffido: tam diu est ex quo frustra corrigitur, cum mihi verum tantum non manifestum videatur. in prologo enim 120 Orestes fugae consilium abicit

οὐ γὰρ τὸ τοῦ θεοῦ γ' αἴτιον γενήσεται
πεσεῖν ἄχρηστον θέσφατον.

vocabulum ἄχρηστον littera ι subscripta egregie restituit Hermannus; quae sententia requirerentur bene dixit Weilius *ce n'est pas moi qui serai cause que l'oracle tombe sans utilité.* nec tamen nisi prorsus incredibilia prolata sunt commenta. ecquid obstat simplicissimo οὐ γὰρ τὸ τοῦδέ γ' αἴτιον γενήσεται?

Magis miror tales locos in quibus acutissima ingenia desudarunt corruptos etiam nunc esse, quam quod tolerantur sententiae Euripidis ac personarum animis aperte contrariae. nam ad singula verba potius quam ad sententiarum conexum animus advertitur. in Bacchis 796 tale mendum quamvis patuli interpretes non senserunt.

ΑΓΓ. θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον ἢ θυμούμενος
795 πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ.
ΠΕ. θύσω· φόνον γε θῆλυν, ὥσπερ ἄξιαι,
πολὺν ταράξας ἐν Κιθαιρῶνος πτυχαῖς.

ut sit bene dictum ὥσπερ ἄξιαι (est autem duriusculum), quis non videt plane ἀπροσδιόνυσον esse quod maenades supplicio

dignae videntur Pentheo. contra egregium esse quod Bacchi luxuria ac mollitie dignam victimam iudicat lascivas mulieres: *ὥσπερ ἄξιος.* quam vocem absolute positam in deliciis habet acumina captans Euripidis sermo. ignoravit hunc usum interpolator Iphigeniae Aulidensis 1029 qui Achillis verba

μηδὲ πατρῷον δόμον
αἴσχυν'· ὁ γάρ τοι Τυνδάρεως οὐκ ἄξιος

inutili versu auxit *κακῶς ἀκούειν· ἐν γὰρ Ἕλλησιν μέγας.* sed vereor ne rursus in altum abripiar.

Postremo ex fabulis prioris ordinis trinos locos audaci coniectura, trinos ex neglectis grammaticorum adnotationibus emendabo, vel potius ex rectius pensitata codicum scriptura, quam in tragoediis illis ad doctorum indoctorumque recensiones redire constat.

Alcest. 1153 *ἀλλ' εὐτυχοίης, νόστιμον δ' ἔλθοις* . . . .
ita Kirchhoffius triplicemque lacunae explendae conatum in codicibus esse dicit. *πόδα* enim vilis interpolatorum turba praebet, *ὁδὸν* Vaticanus cum Havninensi suo, *δόμον* Laurentianus Palatinusque. *γρ. δόμον* aut *γρ. καὶ πόδα* prioris ordinis aliquot codices et Laurentiani Venetum apographon adscribunt, non vero ipse Laurentianus. quae cum ita sint *πόδα* et *ὁδὸν* coniecturas esse facile concedimus. quis vero *δόμον* coniecisset? contra igitur sentiendum est, iudicandusque *Φ* verum servasse quamvis corruptum. Euripides *δρόμον* dederat, quod vocabulum cum derivatis valde amat.

Troad. 1118 *καινὰ καινῶν μεταβάλλουσαι χθονὶ συντὐχίαι.*
videtur hoc omnibus codicibus propagatum esse. nam silentio meo quod Vaticano *καιναὶ καινῶν* tribuere videtur contra disertum Freiburgeri testimonium confidere non audeo, cum idem in Havniensi et scholii Vaticani lemmate extet. Palatinum *καινὰ καὶ νῶν* neque quidquam aliud habere ego testor. vetus coniectura *καιναί* nullo nomine commendari potest. scribendum potius *καίν' ἐκ καινῶν.* cf. Orest. 1503 *ἀμείβει καινὸν ἐκ καινῶν τόδε.*

Andromach. 179 negat Hermiona uni marito plures uxores convenire,

ἀλλ' ἐς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.

nemo quidquam de suo mutaret. at schol. M. B. *εὐναίαν Κύπριν: εὐγενῆ τέρψιν σύγκοιτον δηλονότι.* legit testis antiquissimus *εὐγενῆ*

Κύπριν; quod et multo elegantius et *ἐν ἤθει* dictum est. quando placebit editoribus codicum longe antiquissimorum, i. e. eorum quibus grammatici veteres usi sunt, lectiones plenas in adparatum criticum recipere?

Hippol. 324. nutrix Phaedram conpellit ut morbi causam fateatur.

ΦΑΙ. *ἔα μ' ἁμαρτεῖν, οὐ γὰρ ἐς σὲ ἁμαρτάνω*
ΤΡ. *οὐ δῆθ' ἑκοῦσα γ' ἐν δὲ σοὶ λελείψομαι*
325 *ΦΑΙ.* *τί δρᾷς; βιάζει χειρὸς ἐξηρτημένη;*

nutricis versus intactus relinqui solet, credo tamquam conclamatus. recentiorum enim explicationes aut eaedem sunt atque veteres aut peiores, intolerabiles omnes. scholiasta Marcianus (dissolvenda enim sunt quae consuit Dindorfius) *ἐξαρτήσομαί σου τῇ ἱκεσίᾳ.* aptum foret, sed verbis nullo pacto inesse potest. *ἢ ἐν σοὶ τὸν βίον λείψω.* hoc quid sibi velit melius ex scholio Parisino B (IV. 231) cognoscitur: *ἐν σοί ἐστι τὸ ζῆν· εἰ βούλει με φόνευσον, συγχωρήσω γάρ.* quod nihili est. pergit Marcianus: *εἰ μὴ ἄρα, φησί, μετά τινος ἀνάγκης οὐ συγχωρήσω οὐδ' ἀπολύσομαι.* temptavit igitur eandem quamvis malam coniecturam atque Scaliger: *οὐ δῆθ' ἑκοῦσά γ' οὐδέ σου λελείψομαι.* in quarta explicatione Vaticanum scholion et Valckenarius consentiunt *ἐν σοὶ καταλειφθήσομαι acquiescam in tuo iudicio.* quod omnium ineptissimum est. nulla igitur nobis subsidia nisi in ingenio. tenendum autem est cum plerisque interpretum ad *ἑκοῦσά γ'* supplendum esse *ἁμαρτάνεις*, opponi alium peccandi modum, proferri autem quibus Phaedrae animus graviter commoveatur, simul enim manum eius nutrix prehendit. omnes probabilitatis numeros explet

οὐ δῆθ' ἑκοῦσά γ', εἰ δὲ σοῦ λελείψομαι —

apodosis loco actio est proximo Phaedrae versiculo significata.

Idem locus certum remedium suggerit quo Medeae versus ~~325~~ 339 emendetur. Medea Creontem obsecratur ne se in exilium coniciat

MH. *μὴ δῆτα τοῦτό γ', ἀλλά σ' αἰτοῦμαι, Κρέον*
KP. *ὄχλον παρέξεις ὡς ἔοικας, ὦ γύναι.*
MH. *φευξούμεθ', οὐ τοῦθ' ἱκέτευσά σου τυχεῖν,*
KP. *τί δ' αὖ βιάζει κοὐκ ἀπαλλάσσει χθονός;*

Medeam ad Creontis pedes provolvi credit Weilius. hoc paullo humilius, sed consimili gestu eam usam esse Creontis verba apertissime docent. quem mirum foret nisi diserte commemoras-

set Euripides. atque aut poesis prorsus ignarus sum, aut absurda sunt Creontis verba *cur me precibus obstringis nec cedis terra?* multo inhumanius hoc neque in acerba irrisione ferendum, nedum in sene iam precibus cedente. Hippolyto duce aptissimum recuperamus

τί δ' αὖ βιάζει κοὐκ ἀπαλλάσει χερός;

scholia desunt.

Andromach. 1182. Peleus nepotis mortem deplorat

εἴθε σ' ὑπ' Ἰλίῳ ἤναρε δαίμων
Σιμοεντίδα παρ' ἀκτάν.

ΧΟ. οὗτός τ' ἂν ὡς ἐκ τῶνδ' ἐτιμᾶτ' ἄν, γέρον,
θανών, τὸ σὸν δ' ἦν ὧδ' ἂν εὐτυχέστερον.

ita codices fide digni. schol. M. B. *μειζόνως ἂν ἐδοξάσθη ὡς ἐκ τοιούτων ἀνδρῶν ἀνῃρημένος ἐν παρατάξει, σύ τε εὐτυχέστερος ἀπήλλαξας κερδαίνων τὴν εὔκλειαν τοῦ ἐκγόνου.* qui scholiasta chori verba qualia nobis tradita sunt legit, praeterquam quod de primo vocabulo nihil dicit. nam scholiastam antestari non debebat L. Dindorfius cum *τὸ σόν τ' ἦν* scriberet. tamen Guilelmus frater prae coniectura illa traditam lectionem ne commemoratu quidem dignam iudicavit. sed rectissime in scholii explicatione non adquievit Nauckius. quid laudis adferret Neoptolemo quod a Troianis potissimum occisus esset? nam quod scholiasta supplevit, in pugna cecidisse praestare indigna caede, qua Neoptolemus interemptus est, non inest verbis Euripidis; recte igitur versum corruptum dixit Nauckius. proficisci ex sententia non possumus, proficiscendum est ex litteris. conicio

οὕτω γ' ἂν ὡς Ἕκτωρ ἐτιμᾶτ' ἄν, γέρον,
θανών, τὸ σὸν δ' ἦν ὧδ' ἂν εὐτυχέστερον.

γ' quod in responso necessarium est Porsonus, *οὕτω* Hermannus repperit. quorum sanctis nominibus quod scriptionem meam concludere licet omen accipio laetissimum.

INDICES.

Index capitum.

Index rerum.



Index locorum.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Cum oculi mei paullo neglegentiores tum animus aliis plerumque curis occupatus effecerunt ut hic liber satis mendose typis describeretur. quod excusari non potest, ignorasse autem nolo videri. omissa interpunctione quibus occucurri vitia hoc loco corrigam; errorum vero quos ego commisi paucos tantum: annuo spatio interiecto quis non cuperet pleraque aliter scribere atque fecerat?

p. 2. Postquam nuper per R. Prinzium nova excerpta ex codice Havniensi edita sunt, suspicionem meam confirmatam duco, atque videtur idem sentire G. Dindorfius. codex igitur Havniensis utpote a grammatico Byzantino interpolatus in recensendo Euripide adhibendus non est. p. 8. v. 2 post *Rhesum* adde *Ionem.* ‖ p. 15. Heraclid. 135. quod ex silentio conclusi diserte confirmat Robertus, qui a me rogatus aliquot Palatini locos qua solet adcuratione examinavit. itaque eius fide nituntur quae de eo codice iam adnotabo. ‖ p. 17. Heraclid. 740. *εἶθ' ὁ* p. ‖ 774. *τάδ'* P. ‖ 857 recte iudicavi. ‖ p. 17. Heraclid. 985 *λέγοντ'* P. debebat igitur inter Palatini errores referri. ‖ p. 23. Ion. 1356. recte iudicavi. ‖ p. 26. Ion. 248. consentiunt apographa. *θαῦμα τ'* p. ‖ 288 recte iudicavi. ‖ p. 31. Iph. T. 730. recte iudicavi. ‖ 742. habet P *ναί.* provenit igitur a *φ*. ‖ p. 32. Iph. T. 601. recte iudicaram. utraque lectio a P profecta. ‖ p. 38. Iph. A. 1002 pro *ἵξετ'* leg. *ἥξετ'*. ‖ 1024 post C² add. P². ‖ p. 50. v. 2 inf. pro *in Φ extitisse* leg. *ex Φ solo promanasse.* ‖ p. 53. dum haec typis describuntur Schenkelius in ephemeride gymnasiorum Austriacorum conlationes codicis *Γ* edidit. deploro quidem tantum laboris frustra consumptum esse, sed ne idem patiar Schenkeliana curare non possum. ‖ p. 58. v. 4. inf. pro *sascitari* leg. *suscitari.* ‖ p. 60. placuit typothetae scriptorum tyranno verba quae in codicis versibus huius libri paginarum spatia excederent infra versus ponere. itaque opera quam in eo posueram ut lectores satis adcuratam codicis imaginem ante oculos habere possent, irrita facta est. ‖ p. 61. 15 pro *probabilitem* leg. *probabilitate.* ‖ p. 76. non debebam formas qualis est *μῖξαι* tolerare. ‖ p. 76. 5 inf. pro *medella* leg. medela. ‖ p. 91. Suppl. 283. *σᾶ* leg. *σᾷ* ‖ p. 92. adn. 306 *τιμήν* leg. *τιμήν Φ.* ‖ p. 93. adn. 331. *πάντ' φ.* leg. *πάντ' Φ.* ‖ p. 95. adn. 386. *Brabachiana* leg.

Brubachiana. ‖ p. 102. v. 521. petivit a me amicus ut versus a me recte constitutos explicarem. difficiliorem enim esse sententiam iudicio Toupianis nugis adsueto. dicit autem Euripides et Thebanis et Argivis aequum iustumque contigisse, illos summa cum gloria vicisse, hos summa cum ignominia cecidisse. cum autem mortui essent, in suum quidque resolutum esse elementum (debebat *utrumque* dicere sed cf. Haupt. Herm. II. 223) animam in aethera, corpus in terram. itaque terrae suum esse restituendum; nimirum anima in aethera evolavit (cf. v. 1140. et pag. 163) corpus terra (*κόπρος*) factum est, sed opus est sepultura. sententia, fortasse Pythagorea, hodie mira videri potest, sed Euripidi familiaris est. Pythagoream credo, etiamsi Epicharmi versus (B 8) *συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθεν πάλιν, γᾶ μὲν ἐς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω, τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν* ex spurio carmine desumpti sunt, quod mihi certum videtur. quinto saeculo qui ita locutus sit scio neminem (nam postea sepulcralia epigrammata similibus scatent) praeter auctorem praeclari carminis C. I. A. 442 in sepulcro publico Atheniensium ante Potidaeam caesorum olim lecti. sed dubito an ipse Euripides carmen a superstitione Atheniensi mirum in modum diversum condiderit. nam sicut Simonides et Ion ita Euripides marmoribus publicis epigrammata scripsit, quale Atheniensibus ad Syracusas caesis apud Plutarchum est Nic. 17. ‖ p. 103. v. 537 *κακούργειν* leg. *κακουργεῖν*. ‖ p. 128. v. 1120 *ΘΘ*. leg. *ΘΠ*. ‖ p. 135. v. 19 *excipiant* leg. excipiunt. ‖ p. 136. v. 4. *ex hoc delectu* leg. *ex ampliore delectu*. ‖ p. 138. in figuris litterarum eatenus tantum imagini lapidis confidas, ut scias et neglegentissime et parum sibi ipsis constantes esse insculptas. ‖ p. 139. v. 3. ante *Lueders* add. ⌑. ‖ p. 140. v. 6. inf. *incognitus* leg. *incognita*. ‖ p. 147. v. 12 leg. *quae scire quae nescire*. ‖ p. 149. del. (X). ‖ p. 152, 8 post *voluisset* del. interpunctionem. ‖ p. 154. n. 36. nimis breviter quae vellem significavi. secundum scholion Soph. Ai. 1297 Cressae Aeropae virginis cum servo stuprum continuit. nequimus igitur Aeropae Atrei uxoris cum Thyesta adulterium huc referre. ac consentit titulus qui *τὴν σκηνὴν ἐν Κρήτῃ ὑποκεῖσθαι* suadet. dissentit schol. Aristoph. Vesp. 763 (fgm. 468) nominato Atreo; sed non dubito Catreum restituere. schol. Acharn. 433 Thyestam in Cressis inductum fuisse testatur. fuitne *ἐπακτὸς ἀνήρ* Thyestes serviens Catreo? ceterum Sophocles Aiacis illo loco Euripidis tragoediam ipsam respicit; Cressae 438, Aiax inter Antigonam (441) et Oedipum (ca. 430) doctae sunt. ‖ p. 167. 3. inf. *in hoc* leg. *eodem*. ‖ p. 168, v. 9 sup. *πεδηείς* leg. *πεδηθείς*. ‖ 169. v. 18 *Hercales* leg. *Hercules*. ‖ p. 172. v. 2 inf. *gereba* leg. gerebat. ‖ p. 176. 14 *quae ea* leg. ea quae. ‖ p. 179. v. 4. 3. inf. leg. *spectas*, et *similem*. ‖ p. 181. v. 19 *transeundem* leg. transeundum. ‖ p. 185. adn. 7. chori versus ante Heracl. 474 intercidisse certum est. at vereor ne erraverimus qui Macariae nomen omnino ab Euripide commemoratum credidimus. nam quamvis Heraclidarum res inter locos communes rhetorum sunt, Macariae mentio rara est, ac vel qui fontis cognominis meminere velut Strabo VIII. 377 eam non memorant. fontis autem in Euripidis fabula vix facta est mentio, cum de episodio nunc intercepto haec tantum habeat argumentum *ταύτην μὲν οὖν εὐγενῶς ἀποθανοῦσαν ἐτίμησαν*. antecedentia autem verba *μία τῶν Ἡρακλέους παίδων, Μακαρία, τὸν θάνατον ἑκουσίως ὑπέστη* grammatici additamentum illud

nomen esse tantum non certo demonstrant. cautius igitur erit nomine illo abstinere: nam schol. Arist. Equ. 1151 addi debebat exemplis argumentorum in tragoediae loco excerptorum. ‖ p. 186. v. 8. *Targilenis* leg. *Targilensis.* ‖ p. 188. v. 4. *contemplaretar* leg. *contemplaretur.* ‖ p. 192. v. 5. 360 leg. 380. ‖ v. 8. *οἰ* leg. *οἵ.* ‖ p. 193. adn. 91: IX. 1 fgm. ad 737 leg. IX. 1. p. 737 fgm. ad. 328. ‖ p. 195. Prom. 980 iam anno 1819 correxerat C. Lachmannus de nov. syst. 124. videtur igitur legem a me expositam pernovisse. sed omnino pudet me quod vulgi ritu librum illum neglexeram *ἐνύπνια* quidem complexum at hercle *τοῦ Διὸς ἐνύπνια.* ‖ p. 196. v. 16. *ΠΡ* leg. *ΗΡ.* ‖ p. 204. v. 18. idem quod de nutrice (serva anu) statuendum est de paedagogo (servo sene). ‖ tres ultimos quaterniones non potui examinare. intellexi tamen dubitationem quam de Hel. 859 movi esse perversissimam.

Halis, typis Orphanotrophei.





